



1. / . 26. X. 1907. C. M.

523.368

A

váczi kegyes-tanítórendi ház

KÖNYVTÁRA.

Dr. betü II. 6-8. szám.

PRINCIPIA
PHILOCALIAE,
Bibliotheca s e v Vacans
DOCTRINAE PVLCRI,
Schol. A D Pizum.
SCIENTIAE FORMAM EXIGERE

CONATVS EST

LVDOVICVS SCHEDIVS,

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE DOCTOR, IN REGIA LITERARVM
VNIVERSITATE VNGARICA PHILOCALIAE AC PHILOLOGIAE
PROFESSOR P. O., I. ORDINIS PHILOS. SENIOR, COMPLVR.
INCL. COMITATVVM ASSESSOR, IMPER. RVSS. ACADEMIAE
CHARCOVIENSIS HONORAR., SOCIET. REG. SCIENT. GÖTTING.
CORRESP. MEMBRVM, LATINAIE IENENS. SOCIVS CET.

PESTHINI,

IMPENSIS CAR. ADOLPH. HARTLEBEN.

M D C C C X X V I I I.



523.368

PRINCIPIA
PHILOGRATIAE
DOCTRINAE PACIS

Δε τα ἀργημένα σινακτικά εἰρημένα μὲν τοῖς δὲ παραλειμμένα πειράθανται ζητεῖν.

ARISTOTEL. P... VII, 10.

EDOLOGICAS SCHEDEAS

ETIAM IN PHILOLOGIA DOCTOR, ET RICCA LIBRARIA
ACADEMICO-ARTISTICO-TRIBUNALIS AC PHILOLOGICO-
POLITICO ET SOCIO, ET OMNIA SIMILIA, SEMINARIIS, LIBRARIA-
RIIS, COMMUNICATUM APPAREBANT, VIXI ET VADERE
CONCEPTE, MICHIGANIA, TACITUS, SEQUITUR. SCIENTIA CEST.

PRÆSTITHIUM

LIBRARIA QVIA ADOLESCENTIA HABITATISSIMA

MICROCOSSAVIT

S E R E N I S S I M O
CAESAREO VNGARIAE AC BOHEMIAE REGIO,
HEREDITARIO PRINCIPI,
ARCHIDVCI AVSTRIAE,
I O S E P H O ,
AVREI VELLERIS, INSIGNIVM ORDINVM SANCTI STEPHANI
REGIS APOSTOLICI, ET CAESAREI BRASILIANI DE MERIDIONALE
CRVCE , MAGNAE CRVCIS EQVITI ,
REGNI VNGARIAE
P A L A T I N O
E T
LOCVMTENENTI REGIO,
GENERALI EIVSDEM REGNI CAPITANEO, COMITI ET IUDICI
IAZYGVUM ET GVMANORVM
ETC. ETC. ETC.

S E R V U N I S S I M O

C E L E B R A T I O N E , A D C U I U T E , V G H O M E M A E R F C I O

H E R E D I T A R I O P R I N C I P I

T E N V E H O C O P V S C V L V M

I O S E P H O

P R O F V N D A E V E N E R A T I O N I S ,

S I N C E R I O B S E Q V I I ,

P I I Q V E C V L T Y S

T E S T I M O N I V M

O N I T A J A P

D . D .

A V C T O R .

L O C U M T E N D I T I R F C I O

G A Z Z E T T A M I L A N E S S A M I L A N E S S A T A D D I C

E Z Z E S S A M I L A N E S S A

A D D I C T I O N E

SERENISSIME CAESAREE AC REGIE PRINCEPS !

ARCHIDVX AVSTRIAEC !

REGNI VNGARIAE PALATINE !

DOMINE BENIGNISSIME !

Doctrinarum emolimenta, quae cum ad mentem humanam veritatis cognitione imbuendam ornandamque, tum ad animos recte agendi legibus informandos ac nobilitandos, tum ad vitae usum augendum et ampliandum pertinent, civitatum regnorumque attentio- nem et curam solicitam omnino exposcere, adeoque principum optimorum ac sapientissimorum quorumvis tutela et praesidio digna esse, nemo sanus du-bitat. Quo maioris itaque aestimanda

SCHEISSME CVERBHEE VO REICHE PRINCIPAL

ARCHIDÆC VASTRIÆ

REGIÆ AEGAEÆ PÆTIAE

DONÆ DECCASIMI

videtur ea scientia, quae, praeter utilitates reliquarum communes, eam præcipue impertit, ut modum quoque ostendat, viamque muniat, ad vitae cultum humanum et civilem, qui omni virtutis genere floreat, assequendum. Quam obrem in disciplinae huius, quae studium pulcritudinis rectum comprehensio-
dens, Philocaliae nomen emeretur, apud nos magis excolendae ac stabi-
liendae firmamentum, id sane optan-
dum erat, vt praesentis operis editio

PRAEFACTIO.

fieret auspiciis PRINCIPIS, qui literarum ipse peritissimus, et earundem momentum ad prosperitatem publicam sagacissime perspicit, et iisdem constanti amore addictus, earum studia sapienter fovet iustoque honore dignatur.

TVO, SERENISSIME PRINCEPS, sublimi iudicio igitur, quod summae apud omnes bonos auctoritatis est, TVAE Voluntati omnino in literas propensae, quam cuncti venerantur, TVAE Be-

nigitati ac Gratiae in gentem nostram
inexhaustae, quam tota patria vnanimi
sensu grato colit ac suscipit, opuscu-
lum hoc suum et omnia studia cona-
minaque sua profundissimo cum pietat-
is cultu perpetuo devovet.

SERENISSIMO NOMINI TVO

Pesthini, Cal. Maiis.

MDCXXVIII.

integerrima fide subiectus cliens,

LUDOVICVS SCHEDIVS.

dubbe loco securius esse nos, dii ipsa oris es-
tobaei bales, celarium fortunae incolumis ac
Ex Obitarie fine et vicissim Genitiae persis-
tote relieti, brevidate bonum similitate cultus
miser pietatis mire nos, ibi dunque ferre
superiorum studiorum; natus nostra sanus multitudin-
exordiuntur eaq; litteris coniugantur possit diriduntur
punctis duplo locutionis positione levius
et amittuntur quibusdam totis na-

P R A E F A T I O.

Qquamquam et munera ratio, et pietas in pa-
triam, et scientiae provehendae ardor, opuscu-
lum hoc ex assiduis literarum artiumque bona-
rum studiis natum, ambitu arctiore, quem mo-
do resert, nunc tantum consulto adstrictum,
pridem iam in publicum proferre iubebant: ve-
recundia tamen haud ignava sane, quo minus
id fieret, ad hoc usque tempus cohibebat. Eo

P R A E F A T I O.

quippe loco scimus esse nos, qui has orbis europei partes, ceterum fortunatas, incolimus, ut ad Odrysiae fines et vicinas gentibus barbaris oras reiecti, plerisque populis ampliore cultus nitore laetantibus minus noti, ipsi quoque fere barbari audiamus; neque nostris seu mentibus excogitari, seu literis consignari posse quidquam putetur, quod politiorum hominum vel iudicio, vel attentione dignum foret, nisi quod forte ad res turcicas illustrandas valeat. Ecquo igitur supercilie excipiendus sperari potuisset ex hoc neglecto mundi latere profectus quantuscunque conatus ad sublimis ac venusti leges explicandas, ad culturae humanae principia stabienda, intentus? Nonne vereri oportebat minimum, ut fronte caperata

taciti faciant convicia vultus?

ac serio examine acrive iudicio indignam scriptoris impudentiam explodant?

Enimvero ex quo poëtarum nostrorum foetus insignes exterarum quoque gentium viris doctis probati, ac praesertim PYRKERI, excellētissimi Viri, popularis nostri, poēmata per Europam magnis laudibus celebrata, male conce-

P R A E F A T I O.

ptam que de nobis opinionem convellere videntur, sperare licet; fore, vt conamina cetero etiam his affinia aliquam apud eos gratiam ineant, qui sincero elegantiorum literarum studio tenentur.

Equidem in hac opella, velut lucubrationum mearum ad omnem Philocaliae ambitum extensarum succincta epitome, quantum fieri poterat, constringenda elaboravi, quo systematis propoundingi series nexusque facilius patescat, neque singularum partium expositione vberiore, quae fundamentis recte iactis suapte semet offert, obscuretur. In ipsa vero scientia explicanda id praesertim agebam, vt pulcri sensum ab eiusdem intelligentia subtilius distinguendo, pulcritudinem absolutam ab ea, quae tantum ad naturam humanam revocata percipitur, diligenter secernens, Metaphysicam pulcri accuratius describerem, ac principium supremum, quo omnis pulcritudo, seu pura sit, seu quibusunque rebus comprehensa, nitatur, constituerem.

Quae omnia continenti nexu ac tenore a primis initii exponere conatus sum, quin aliorum sententias discrepantes commemorarem, aut

P R A E F A T I O .

illis refellendis immorarer, nisi vbi disciplinae
huic constituenda gravi essent impedimento.
Asserta vero doctorum virorum, qui auctorita-
te sua etiam argumentationibus hic allatis pon-
dus addere, fidemque facere possunt, frequentius
attuli, quo tutior tramite coepio incederem.
Fundamentis hac ratione positis, vbi aliorum
quoque rei peritorum iudiciis probata fuerint,
singularum artium pulcrarum institutiones, quae
speciales Aestheticae vocantur, superstruere haud
cunctabor. Scribebam Pesthini, Calendis Maiis
MDCCCXXVIII.

Conspectus operis.

PROLEGOMENA. Qui sui ipsius conscientia est Externum et Internum, Materiam et Potentiam, ac utriusque nexus discernit ^{ATR. PLAT.} 4—5. Materiae ac Potentiae nexus intimus et aequalis in Objectis pulchritudinem, in Subiectis humanitatem efficit, 4—5. Etymologia et notio pulcri, 6—7. Scientia pulcri, Philocalia, 8—10; eiusdem partitio, 11—14; fons, 15; disciplinae subsidiae et affines, 16—17; finis Philocaliae, 18—20.

PARS I. CALLEOLOGIA, s. doctrina pulcri absoluti. 21—23.

SECTIO I. CALLEOLOGIA PURA, s. Metaphysica pulcri absoluti. 24.

CAPVT I. CALLEOLOGIA PURA ANALYTICA, s. elementaris. 25—26.

A.) **Materia pura,** 27—50.

B.) **Potentia pura,** 51—57.

a) **Vis** 38—41.

b) **Mens** 42—48.

α) **Mens tantum obscure sui conscientia.** 49.

β) **Mens clare sui conscientia** 50—51.

CAPVT II. CALLEOLOGIA PVRA SYNTHETICA, s. methodica 52—54.

- A.) Coniunctio Vis purae ac Materiae purae 55—56.
diversa 57—59. vnde primus et secundus
gradus pulcritudinis purae absolutae 60—65.
B.) Coniunctio Mentis et Materiae purae 66—70.
diversa, 71—78. vnde supremus gradus pul-
critud. abs. purae 79. Diversitas eius 80—84.
Differentia a vero et bono absol. et grato
85—85.

SECTIO II. CALLEOLOGIA APPLICATA, s. Physica
pulcri abs. 86.

CAPVT I. CALLEOLOGIA APPLICATA ANALYTICA, s.
elementaris, 87—88.

- A.) Materia abs. empirica, 89—94.
B.) Potentia abs. empirica, 95—105.

CAPVT II. CALLEOLOGIA APPLICATA ANALYTICA, s.
methodica, 106—107.

- A.) Coniunctio Materiae abs. emp. cum Vi abs.
emp. 108—109. diversa 110—115. vnde pul-
critudo anorganica 116; organica physica 117—
126.
B.) Coniunctio Mentis et Materiae abs. emp. 128—
129. diversa 130—138. vnde pulcritudo orga-
nica psychica 139—146. Venustum et Validum
147. Sublime 148—149. Ridiculum 150. Re-
cessus a pulcro 151—152. Differt a vero et
bono abs. emp. et a grato 153—155.

PARS II. AESTHETICA, s. Doctrina pulcri re-
lativi, 156—159.

SECTIO I. AESTHETICA PVRA, s. Metaphysica
pulcri relativi, 160.

CAPVT I. AESTHETICA PVRA ANALYTICA, s. ele-
mentaris, 161.

- A.) Subiectum aestheticum purum, 162—172.
B.) Obiectum aestheticum purum, 173—178. di-
versum, 179—195.

CAPVT II. AESTHETICA PVRA SYNTHETICA, s. me-
thodica. E certa relatione obiecti aesth. ad
Subiectum aesth. provenit sensus pulcri 195—198.
iudicium aesth. 199—200; quaenam relatio plena,
201—207.

SECTIO II. AESTHETICA APPLICATA, s. Doctrina
pulcri relativi empirica, 208.

CAPVT I. AESTHETICA APPLICATA ANALYTICA, s.
elementaris, 209.

- A.) Subiectum aesth. emp.
a) singulare, 210—218.
 α) eiusdem sensus psychicus, 219—221.
 β) ingenium, 222—225.
b) sociata, Publicum, 226.
- B.) Obiectum aesth. emp. 227—228. psychice or-
ganicum, 229. refertur ad Subiecti sensum
psychicum, auditum, visum, vel tactum, 230—
234; estque
a) relativum simulque in se absolutum, vel
 prorsus relativum, 232.
b) prosaicum vel poëticum, 233.
c) primitivum vel secundarium, 234. In qui-
 bus omnibus discernenda forma interna, ex-

terna et intermedia, 225; harumque diversa relatio mutua, 236—237; vnde artes purae, 238—240; artes complexae, 241; propriae et improoriae, 241—245.

CAPVT II. AESTHETICA APPLICATA SYNTHETICA, seu methodica. Inter Subiectum et Obiectum perfecte aestheticum intima et aequalis coniunctio adsit, quae arte *aesthetica* efficitur, 246—248; ad quam gradatim pervenitur, 249—251 sicut ad culturam humanitatis, 252—253. Censor aestheticus, 254—255.

De historia Philocaliae, 256—264.

A) Suspension setup, cont.

PROLEGOMENA.

1.

Qui sui conscius est, non modo se, velut *Subiectum*, discernit ab alia quacunque re, velut *Obiecto*: sed *nexus* quoque *sui* (i. e. *Subiecti*) cum *Obiecto*, seu *relationem* *vtriusque mutuam*, simul percipit ac discernit. — *Sui conscius* igitur etiam semper *alterius* cuiuspiam, tamquam rei *obiectae*, *consciens* esse debet.

„Conscium saepe indifferenter positum legimus,“ ait NONIUS MARC. 5, 29. (indifferenter, i. e. eo modo, quo simplex scimus.) Interdum *consciens*, sicut συνειδῶς, idem notat atque *cum alio sciens*, συνισοῦντα. Multum vero differunt haec: *conscium esse rei alicuius*, *conscium sibi*, (*conscire sibi*, apud HORAT. ep. I, 1, 60.) *conscium sui*, *conscium sui ipsius esse*.

2.

Qui sui ipsius est conscius, in se, tamquam *Subiecto*, discernit id, quod *Internum* est, (*Internum suum*, se ipsum) ab eo, quod *Externum* est, (ab *Externo suo*, a corpore suo), ita ut *vtriusque relationem* *mutuam* simul percipiatur.

Idem dein iam hac analogia ductus in *objectis aliis Internum* eorundem ab *Externo* discriminare, vna vero *vtriusque nexus* *mutuum* advertere valet. Qua facultate homo ceteris animantibus antistat.

3.

Externum, quod hac ratione tam in Subiectis, quam in rebus obiectis, distingui potest, vocatur *Materia*, ὑλη; *Internum*, quod pariter utroque animadvertisit, *Potentia*, δύναμις, compellari potest.

4.

Inter Materiam et Potentiam nexus obtinet multiplex, ubi mox haec, mox illa diversis gradibus praevalet, mox utraque *coniunctionis aequalis et intimae vinculo* vnitur.

Intima et aequabilis coniunctio Materiae ac Potentiae ea est, qua in Obiectis *pulcritudinem* efficit, in Subiectis autem *Naturam humanam*, perfectam Humanitatem, constituit.

Quo respectu Humanitatem, quae vox admodum varie usurpatu est, etiam *pulcritudinem internam*, seu *subiectivam*, vocare licebit, quae Subiecto insidet; ea vero, quae in Obiectis cernitur, *objictiva* seu externa *pulcritudo* dici potest. Hoc fundamento *humanitatis studia* nituntur, unde ambitum eorum et latius patere, et rectius definiri posse liquet, quam plerumque existimatur.

6.

Vocabulum *pulcher*, quod magis convenienter primitiae suae formae *pulcer* scribendum esse, docet CICERO in Orat. c. 48., et VARRO apud *Charisium* I, p. 56. (coll. Scauro p. 2256. ed. Putsch. et Servius ad *Virg. Georg.* III, 278.) derivandum est a *fulceo*, antiqua forma verbi *fulgeo*, vid. *Diomedes* p. 379. ed. Putsch.; unde adiectivum *fulcer* ortum, (sicut a *rubeo* *ruber* sit, a *pigeo* *piger*, et his

similia) postea in *pulcer* transiit, more Romanis quoque, sicut magis Graecis, vsitato, literas eiusdem organi φ , π , β , inter se permutandi.

Ac *fulgere* quidem, *splendere*, $\lambda\alpha\mu\pi\epsilon\iota\nu$, $\varsigma\iota\lambda\beta\epsilon\iota\nu$, pulceritudinem dici, satis constat. Vid. F. CREUTZER ad *Plotinum de puleritudine*, (Heidelberg. 1814. 8.) p. 234. sq., eaque de causa, ut POPE (*Essay on Man*) queritur,

Poets like painters, thus unskill'd to trace
The naked nature, and the living grace,
With gold and jewels cover ev'ry part,
And hide with ornaments their want of art.

Recte quoque observatum est, apud multas nationes pulcrum denominationem suam a splendore, vel a coloribus fulgidis mutuare. Conf. ADELUNG *Wörterbuch*, v. *Schön*. HERDER *Kalligone*, I, 3. — STEWART *Essais philosophiques*, et alii.

7.

Notionem *pulcri*, quae ob varietatem rerum infinitam, quibus pulcrum inesse negari nequit, admodum difficiles explicatus habet, ($\chiαλεπά τὰ \chiαλά$ aiebant Graeci) recte tamen definiri putamus, si *pulcrum* generatim dicatur *id, in quo Materiae ac Potentiae intima et aequalis coniunctio inest*. *Pulcritudo* autem est ipsa haec *Materiae ac Potentiae intima et aequalis coniunctio*.

8.

Pulcrum, velut Obiectum, a Subiecto non modo *sentiri* (sensu percipi), sed etiam *cognosci* (intellectu discerni) potest. Illud propriae ac peculiaris

oblectationis consecutionem adfert, hoc ad *scientiam pulcritudinis sensusque pulcri* dicit. E notionum harum confusione nascitur erronea quorundam sententia, qui doctrinam de pulcro ad Scientiae (stricte sic dictae) dignitatem eyehi posse negant, eo quod pulcritudo tantum sensu, qui ad principia rationis exigi nequeat, percipiatur.

Rectius, vt plerumque, distinguit Fr. Schiller: „Keine Erkenntniss, selbst nicht einmal von der Schönheit, wird durch die Empfindung der Schönheit erworben.“ Ueber d. nothw. Gränzen b. Gebr. schön. Formen.

9.

Scientia pulcri, quae humanitatis quoque disciplinam complectitur, a J. Th. BAUMGARTEN, qui primus formam systematis eidem inducere tentavit, iusto arctiore comprehensione, *Aesthetica*, ab aliis dein haud plenius *Calleologia*, *Calliaesthetica*, *Scientia artis*, *Theoria bellarum artium*, appellata, rectius *Philocalia*, φιλοκαλία, studium pulcritudinis, dici potest, nomine ad analogiam vocabulorum Philosophiae, Philologiaeque formato.

Vocem φιλόναλος pro puleri studioso apud Graecos iam vsu venisse constat e pluribus scriptorum veterum locis. Conf. Periclis oratio apud THUCYDIDEM II, 40. PLATO in *Phaedro*, Opp. Vol. X. p. 525. ed. Bip. — XENOPHON. memor. Socrat. III, 11, 9. — PLUTARCH. quomodo quis suos in virt. prof. sent. c. 10. — LUCIANUS περὶ τῆς οἰκείας 1, et 5, et saepius. — CICERO ad div. XV, 19. (qui tamen pro *virtutis* studioso accipit) PLINIUS ep. II, 5, 8. —

10.

Philocalia non ceu farrago quaedam, aut vanus observationum criticarum, vt a quibusdam fit,

consideranda, verum tamquam *pars Philosophiae*, ad complementum eiusdem atque integritatem omnino necessaria, tractanda est. Philosophia nempe, quocunque tramite incedat, semper Scientiam nexus omnigeni Materiae cum Potentia continens, doctrinam quoque nexus intimi et aequalis inter Materiam et Potentiam intercedentis, quae *Philosophia pulcri* est, complectatur oportet.

41.

Puleritudo tamen non eadem vbiique locum habet. Alia nempe reipsa Obiecto cuiquam inest, per se subsistens, nullo respectu habito ad Subiectum percipiens, quae nobis *absoluta* dicitur; alia per se proprie non subsistens, tantum impressione sua in Subiectum percipiens speciem Materiae ac Potentiae perfecte vnitae prae se fert, quam propterea *relativam* nuncupare conveniet. *Absolutae pulcritudinis disciplinam* continet *Philocaliae pars prima*, quae *Calleologia*, *καλλεολογία*, recte appellatur; *relativam pulcritudinem* explicat *pars altera*, quae *Aesthetica*, *αἰσθητικὴ* (*ἐπισήμη*), magis apposite vocabitur.

Absoluta pulcritudo etiam *objectiva* certo sensu compellari potest; sicut ea, quam *relativam* vocamus, aliis *subiectiva* est. Consulto tamen vtraque nomenclatione abstinemus, ne cum ea, quam supra §. 5. memorabamus, confundatur.

42.

Praeterea pulcritudo tam absoluta, quam *relativa*, primum e principiis rationis ac puro conceptu suo, semotis conditionibus, quibus res pulcræ in experientia obnoxiae sunt, deducenda est, quod *Calleo-*

logia pura et *Aesthetica pura* praestabit; dein vero in experientia ipsa etiam pulcritudo conditionibus empiricis affecta commonestrari debet, cuius notas legesque tradet *Calleologia applicata* et *Aesthetica applicata*.

Calleologia applicata et Aesthetica applicata hic generatim duntaxat exponere possunt pulcritudinis absolutae et relativae indolem diversis naturae artiumque operibus communem, vnde fundamenta praeceptaque generalia omnium artium pulcrarum petuntur. Singularum tamen quarumvis artium theoria specialis hic exigi nequit, quippe quae tot disciplinis specialibus pertractanda est, quot diversae pulcritudinis species, variaeque huius in humanam naturam agendi formae censemur.

13.

Cum denique pulcritudo quaeviis e Materiae ac Potentiae certa quadam coniunctione oriatur, non modo horum eiusdem elementorum indoles veraque constitutio investiganda, sed etiam coniunctionis recta ratio et norma examinanda est. Quare in cunctis partibus scientiae huius iam supra memoratis ita versabimur, vt expositione *analytica*, seu elementari, quae singulorum elementorum notiones, notas legesque proponat, praemissa, sequatur doctrina *synthetica*, seu methodica, rationem modumque in elementis his ad pulcritudinem efficiendam yniendis necessarium explicans.

14.

Schema proinde, quo Scientiae pulcri partes ad systematis formam exigendae rite comprehendantur, tale formandum esse existimamus:

PHILOCALIAE

Pars I. continet *Calleologiam*, s. doctrinam Pulcri absoluti, cuius hae sunt sectiones et capita:

Sectio I. Calleologia pura.

Caput I. Calleologia pura analytica, s. elementaris.

Caput II. Calleologia pura synthetica, s. methodica.

Sectio II. Calleologia applicata.

Caput I. Calleologia applicata analytica, s. elementaris.

Caput II. Calleologia applicata synthetica, s. methodica.

Pars II. continet *Aestheticam*, s. doctrinam Pulcri relativi.

Sectio I. Aesthetica pura.

Caput I. Aesthetica pura analytica, s. elementaris.

Caput II. Aesthetica pura synthetica, s. methodica.

Sectio II. Aesthetica applicata.

Caput I. Aesthetica applicata analytica, s. elementaris.

Caput II. Aesthetica applicata synthetica, s. methodica.

15.

Quod ad *sontem* attinet, e quo doctrinam pulcri haurire oportet, alter quidem erit, vnde pulcrum ipsum (ceu argumentum, obiectum) sumere licebit, alter vnde scientiam (ceu formam doctrinae) petere debemus.

Atque scientiae pulcri quidem alium fontem assignare haud possumus, quam eum, e quo scientia omnis, et praesertim Philosophia, cuius partem Philocalia constituit, derivatur, nempe *Rationem*; λέγω γὰρ νῦν ἀρχὴν ἐπισήμης, recte ait *Aristoteles*, analyt. post. I, 33; et ἐπικοινωνῶσι δὲ πάσαι αἱ ἐπισῆμαι αἱ ἀλλήλαις κατὰ τὰ κοινά· κοινὰ δὲ λέγω, οἵς χρῶνται, ὡς ἐκ τούτων ἀποδεικνύντες. Ibid. c. 11.

Pulcri vero ipsius fontem uberrimum in *Natura humana* quaerendum esse putamus, quippe quae tam absolutae, quam relativae pulcritudinis exemplar ac veluti normam continet. Conf. §. 5. et 143.

16.

Ad hos fontes autem duplex patet accessus, a priori alter, alter a posteriori. Vtrumque *disciplinæ subsidiariae* commonstrant; aliae quidem directe, quas primi ordinis vocamus, aliae indirecte, quas ideo secundarias appellare convenit.

Inter subsidia primi ordinis, quae viam a priori directe pandunt, censetur omnis Philosophia, atque in specie illae partes eius, a) quae ad mentis animique indolem ac leges cognoscendas ducunt, veluti sunt: Psychologia, Logica, Metaphysica, Ethica cet., dein b) quae in materiae corporumque natura et legibus, tam universe, quam praesertim in naturae humanae recessibus eruendis versantur, ut sunt: Scientia naturae generalis, Physica, Physiologia, Zoonomia, Phytonomia, Anthropologia cet.

Viam a posteriori pariter ostendit usus ac studium diligens et naturae pulerae et operum artis classicorum omnis aevi, quo nempe sensus pulcri

excitatur et perficitur, qui per se quidem solus nunquam pulcri cognitionem scientiamque impertiri potest, cuius ductu tamen ad rationis altiora praesidia pervenitur, vnde ipsi quoque necessaria lux et securitas accedit.

Subsidiis autem secundariis, quibus priorum tractatio facilior evadit et feliciorem successum nanescitur, accenseri debent: linguarum cultiorum veterum aequae ac recentiorum cognitio, vnius alteriusve artis pulcrac exercitatio et *πραγματεία*, historia literarum et artium ac generatim culturae humanae, archaeologia, mythologia, symbolica cet.

17.

Inter *confines*, aut si mavis affines, Philocaliae *disciplinas*, quae aliqua ex parte finem eundem, utpote pulcritudinem, contingunt, cetera vero propriam directionem sequuntur, referenda est *Philologia*. Haec enim sermonis humani (rationalis), *λογοῦ*, *λογιας*, ceu adminiculi ad pulcritudinem exprimendam appriime idonei, originem, principia, legesque toto ambitu suo exponens, simul etiam modum ostendit, quem in pulcris formis tam prosaicae, quam poëticae, orationis tenere oporteat, vnde *Aesthetica specialis Rhetoricae ac Poëseos* exsurgit. Eadem ratione aliorum quoque adminiculorum, quibus ad formas pulcras exhibendas utimur, veluti tonorum, colorum cet. disciplinae peculiares pleniore ambitu tractatae, *Studium tonorum φιλοτονιῶν*, *Studium picturae φιλοζωγραφίῶν* cet. constituent.

18.

Finis proximus, in quem hae de pulcro disquisitiones instituuntur, is est, 1) ut caussas effectusque pulcritudinis, vbiunque se manifestantis, e supremis rerum principiis deducamus atque ita explicemus, quo certa et definita de rebus pulcris iudicia reddi queant; dein 2) ut et facultatis pulcrum percipientis et vis pulcrum producentis functiones legesque ita evolvantur, quo utriusque efficacia, auctoritas et usus recte intelligantur.

19.

Ad communis vitae usum igitur haec scientia eandem habet vim, quam ceterae partes Philosophiae intra suum quaeque ambitum sibi merito vindicant. Neque enim e. c. *Logica* intelligentiam vel mentem cuiquam impertire, neque eandem solis praecepsit, licet acutissime deductis, perficere valet; (recte namque ait QUINTIL. VI, 5, „iudicium non magis arte traditur, quam gustus et odor“) at vero eam, quae nobis iam inest, usu atque exereitio legibus suis conformi accedente, recte dirigit acuitque. *Ethica* pariter ipsam recte agendi potentiam nemini largitur, neque solis moralibus decretis, quantumlibet subtiliter demonstratis, virtutem auget, (egregie monet PLATO, διδάσκων οὐποτε ποιήσεις πανὸν ἀνδρὸγαθόν); at vero morum vim homini a natura inditam, usu legibus suis convenienter addito, perficit. Pari modo *Scientia pulcri* neque ingenium, neque sensum venusti aut sublimis cuiquam ingenerare, neque sola legum suarum intelligentia sive perfectum oratorem poëtamque formare, sive rudem puerum ad humanum

cultum erudire valet: at vero *vsus* atque *exercitatio* legibus philocalicis conformis, facultatem pulcrum percipiendi et producendi a natura insitam omnino exacuit et ad veram culturam provehit. Conf. CICERO de off. 1, 18, 60. HORAT. od. IV, 4, 33. sq.— LONGIN. π. ὑψ. c. 2.

20.

Quae praeter hanc de *utilitate scientiae* ad studium eiusdem discentibus commendandum in prolegomenis ut plurimum adferri solent, ea quidem ante pertractatum ipsius disciplinae complexum haudquam intelligi, proinde omni fructu carere, putamus.

Idem etiam de *historia scientiae*, quae hoc loco polissimum exponi solet, iudicare prouidum est. Neque enim prima institutio, neque incrementa, neque aliae quaecunque mutationes scientiae cuiuspiam comprehendendi possunt ante, quam partes ad orbem eius spectantes, in quibus haec acciderunt, cognoscantur; neque has ignorantis vñquam intererit rescire, quas vicissitudines subierint. Quam obrem vtrique huic rei exponendae locum coronidis assignare malumus.

PHILOCALIAE

PARS PRIMA.

C A L L E O L O G I A ,

SE V

DOCTRINA PVLCRI ABSOLVTI.

21.

Si *Pulcrum* generatim e Materia et Potentia, tamquam elementis suis, aequaliter et intime iunctis existit, horum diversitas Pulcro quoque non potest non inducere diversitatem.

Ac primo quidem differentiam permagni sane momenti advertere licet, qua Materia et Potentia alia *vera* est, reipsa subsistens (*realis*) atque *in se talis*, etiamsi a nullo Subiecto percipiatur, (*ἐάν τε φαίνηται, ἐάν τε μὴ*, ait PLATO in Hippia mai. p. 33. ed. Bip. Opp. Vol. XI.) v. c. quae in homine vivo adest: alia vero non reipsa subsistens, *in se non talis est*, qualis a Subiecto percipitur, sed tantum impressione sua in Subiectum percipiens formam sive speciem alicuius Materiae et Potentiae unitae praefert; e. g. in figura hominis picta. Illam Potentiam et Materiam vocamus *absolutam*, et Pulcrum inde consurgens pariter *absolutum* (i. e. omni nexu cum

Subiecto percipiente solutum, liberatum); hanc Materiam et Potentiam vero *relativam*, (i. e. quatenus ad Subiectum, a quo tamquam talis percipi potest, refertur) ac Pulcrum exinde proveniens aequem *relativum* compellare licebit.

Pulcrum absolutum, quod hic spectamus, probe discernendum est ab eo, quod alii scriptores hoc vel analogo quopiam nomine signare solent. Alio nempe sensu accipitur *Pulcritudo absoluta* apud W. T. KRUG *Aesthetik* §. 23. Anm. 1.; alio itidem *Beau absolument* apud KÉRATRY (*Du Beau dans les arts d'imitation. Paris 1822. 8.*) Tom. I. p. 189. sq. Aliud est veterum Stoicorum ἀγαθὸν καλὸν, cf. Diog. Laërt. in Zenone VII, 100., aliud καλὸν θεῖον apud PLATONEM in *Sympos.* (cf. *Opera*, ed. Bip. Tom. X, p. 249.); aliud Neoplatonicorum κάλλος ὅν αὐτὸν καὶ τὸ πρῶτον apud PLOTIN. in *Ennead.* VI, 7.; aliud καλὸν ὑπερέσιον apud DIONYS. AREOP. de div. nom. c. IV, n. 7. Differt etiam a *pulcro ideali* et *objectivo* recentiorum; illud nempe nobis *pulcrum purum* vocatur, *objectivum* autem *pulcrum* omne nobis est, quod in *objectis* deprehenditur, sive *absolutum*, sive *relativum* sit. (cf. §. 5.)

22.

Cum in *Pulcro* *absoluto* tantum ipsa *Pulcritudo* in se spectetur, i. e. κάλλος, (seu τὸ καλὸν, ὃ καλὰ πάντα ἐσὶν, ἢν τὸ οὖν φαίνηται, ἢν τε μὴ, ut PLATO dicit in Hipp. mai. ed. Bip. Vol. XI. p. 32. sq.) scientiam eius recte Calleologiam, καλλεολογίαν, nominare licebit, quae primam Philocaliae partem constituet. In *Pulcro* *relativo* magis respicitur apperceptio *Pulcri*, quae sensuum ope fit, αἴσθησις, quare scientiam huius magis accommodè *Aestheticam* compellabimus, quae alteram Philocaliae partem sustinebit.

23.

Aliud discrimen porro, quod in elementis Pulcri solicite curandum putamus, est, quo Materia Potentiaque (tam absoluta, quam relativa) *pura*, empiricis conditionibus haud obnoxia (abstracta), differt a Materia Potentiaque *applicata*, quae conditionibus empiricis subiecta, in experientia occurrit. E Materia et Potentia utraque absoluta pura aequaliter intimeque inter se iunctis, provenit *Pulcritudo absoluta pura*, cuius disciplina proinde *Calleologia pura* dicetur, quae eadem est cum Metaphysica Pulcri absoluti; e Materia et Potentia absoluta applicata seu empirica nascitur *Pulcritudo absoluta empirica* seu *applicata*, cuius doctrinam *Calleologia applicata* comprehendet. Ita etiam e Materia et Potentia relativa pura generatur *Pulcritudo relativa pura*, cuius expositionem *Aesthetica pura* complectetur; Materia et Potentia relativa empirica vero perfecte unita *Pulcritudinem relativam applicatam* gignit, quam *Aesthetica applicata* explanabit.

SECTIO PRIMA.

CALLEOLOGIA PVRA,

S E V

METAPHYSICA PVLCRI ABSOLVTI.

24.

Vt indolem genuinam Pulcri absoluti puri recte cognoscamus, prius elementa eiusdem, Materiam nempe absolutam puram, et Potentiam absolutam puram, examini subiicere oportet, quod praestabit *Calleologia pura analytica*, seu *elementaris*; dein vero videndum, quanam via methodoque eorundem recta coniunctio, seu *synthesis*, perfici debeat, quam *Calleologia pura synthetica*, seu *methodica*, monstrabit.

Initia pulcri simplicissima, eo, quem hic yrgerimus, modo solerter scrutari, haudquisquam ad vanas speculandi pruriginis argutias pertinere putabit, nisi qui e PLATONIS sententia in *Theaeteto* (Opp. Vol. II. 76. sq.) μάλισται τοι γενέσεις καὶ πάχη τὸ ἀργατον οὐκ ἀποδεχόμενος ὡς ἐν οὐσίᾳ μέρει, merito accenseri velit ἀμυνήσοις, οἱ οὐδὲν ἄλλο οἰόμενοι εἴναι η̄ οὐ ἄγ δύνονται ἀποιῆ ταῖν χεροῖν λαβέσθαι. Primitus nempe notionibus ad puram suam originem revocatis, vereque constitutis, longe facilius est vagos, qui iudicia de pulero plerumque turbare solent, conceptus ad rectum certumque trahitem reducere.

CAPUT PRIMUM.

CALLEOLOGIA PVRA ANALYTICA

SE V

ELEMENTARIS.

25.

Quidquid est (s. existit , ίσι , omne *Ens*), in se ac pure spectatum est vel agendo , vel est non agendo . Vtrumque tamen re ipsa est , revera existit , est reale ; negativa proinde haec formula : „est non agendo“ in se proprie affirmatiyam habet significationem , nempe hanc : „spatium implet .“

In lemmatibus metaphysicis , quorum ope argumentationes ad scientiae nostrae scopum ducentes firmare oportet , ab his initii ordiendum esse putabamus . Quae ultra haec assurgunt , ea sibi Metaphysica sola iure meritoque vindicat , in quibus ratio humana recta via procedens non potest non ad certam *Entis perfectissimi* , tamquam supremi Numinis , agnitionem devenire , vt ingenue fatetur BACO VERULAM . de dign . et augm . scient . lib . 1 . — GÖTHE zur Naturwiss . I . B . 2 . H . S . 115 .

26.

Quod est non agendo , i. e. quod spatium implet , communiter *Materia* , υλη , dicitur ; id , quod agendo est , generaliter vocari solet *Non-Materia* , άνυλον , quod tamen , vt directa expositione vt amur , *Potentiam* , δύναμιν , compellare malumus . Cum vero hic vtraque in se ac pure (abstracte) spectetur ,

tam *Materia* vt absoluta (§. 21.) et pura (§. 23.), quam *Potentia* vt absoluta et pura, considerandae sunt.

Haec partitio suprema eorum, quae sunt, in *Materiam* et *Potentiam*, ab omnibus fere Philosophorum sectis recepta est; quod Jo. FORT. ZAMBONI in diss. *adv. artes rec. Physiolog.* (Pisis, 1820. 8.) pag. 7. sq. recte animadvertis. Plerique tantum alia nomenclatione, non semper satis accommoda, vsi, rectae partitionis antithesin saepe neglexerunt. Alii nempe *ποσμὸν* *νοητὸν* et *ποσμὸν* *σωματικὸν* vel *αἰσθητὸν*, alii *ποσμὸν* *φυσικὸν* et *ψυχικὸν*, alii *νοέμενα* et *φαινόμενα*, alii *ὑλη* et *νόος* hac ratione sibi opposita censem. *Parmenides* ipse apud DIOG. LAERT. IX, 5, 2. πῦρ, ὁ δῆμιος γῆ τάξιν ξέτει, et γῆν, ἡ ὑλης τάξιν ξέτει, hoc sensu distinguit. *Leucippus* vero statuit, *atomos* alias *igneas*, quae rotundae ac *perse mobiles* sint, alias autem frigidas esse, quas angulatas atque *inertes* dicit. Conf. ARISTOTELES *de coelo* III, 4, et *de anima* I, 2. — Pari conatu et eodem consilio denique complures Philosophi reale et ideale, externum et internum, res humanas et divinas, terrena et coelestia, temporalia et aeterna, mundum obiectivum et subiectivum, obiectum et subiectum absolute positum, finitum et infinitum, sensuale et supra-sensuale, naturam et intelligentiam, ego et non - ego, atque his similia, tamquam ea designant, ad quae in omnium, quae sunt, divisione postremo regredi oporteat.

A.) *Materia pura.*

27.

Materia pura (abstracte sumta, in se sola considerata) dicitur id, quod non alio modo *est* (s. *existit*), quam *non agendo*, i. e. *spatium impletendo*, s. quod reipsa duntaxat spatium implet. Conf. §. 26.

Cum quis dicit, omne quod est, aliter *esse* non posse, nisi in spatio, proin omnia esse Materiam, non satis advertit, aliud esse; „spatium implere“, aliud „in spatio esse. — Plerique adhaec Materiam puram ab empirica haud accurate distinguunt. Quare alii eam principium elementorum et quorundam animantium dixerunt, vti refert DIOG. LAËRT. prooem. 10; alii Materiam sese moventem, ὑλην κινεμένην, memorant, ibid. in Platone III, 69; — alii Materiam puram et corpora confundunt, velut ipse CARTESIUS, in princ. Philos. Amstel. 1656. 4. Part. II. c. 1. et alibi; — alii Materiam puram spatium et tempus implere asserunt, alii eam actuosam et efficacem praedicant, alii eam nil aliud esse, nisi vim sese manifestantem, putant; alii autem id, quod per se subsistens cognosci, nunquam tamen cognoscere queat. cet. Conf. ARISTOT. METAPH. VII, 7. — I. KANT. Metaph. Anfangsgr. d. Naturwiss. 1786. 8. p. 31. — G. R. TREVIRANUS Biologie 1ter B. (Göttingen. 1802. 8.) p. 25. — A. SCHOPPENHAUER d. vierf. Wurz. des Satzes vom zur. Grund. Rudolstadt, 1813. 8. §. 19. coll. §. 42. — W. T. KRUG Handbuch d. Phil. 1. p. 329. f. — FR. CALKER Urgesetzlehre. Berlin. 1820. 8. §. 163. f. — PH. C. HARTMANN Geist d. Menschen. Wien. 1820. 8. p. 2. — C. F. HELIWAG, Physik des Unbelebten und Belebten. Hamburg. 1824. 8. — F. E. BENEKE, das Verhältniss von Seele u. Leib. Göttingen. 1826. 8. — J. C. A. HEINROTH Psychologie. Leipzig 1827. 8. p. 264. et alii. — Materiae purae autem ab empirica distinctione accuratiore assumta, omnis Materialismi tam crassioris quam subtilioris initia reprimuntur.

Haec Materiae purae notio sequentes *notas* eiusdem *essentialis* innuit:

1) Materia *est* spatium implendo, non agendo, proin ex se non agit, ergo ipsa se ad agendum determinare nequit, i. e. *iners* est.

2) Materia spatium implet, ergo partes habet extra et iuxta se positas, i. e. *extensa* est.

3) Materia partes habet extra se positas, quae proin se vicissim excludunt, non compenetrant, verum discretæ sunt ac singulares. Materia igitur est *singularis*, ab alia Materia non compenetrabilis.

29.

Materia, tamquam iners, ex se ipsa non agit; quotiescumque igitur agit, ab alio (ex se agente) ad agendum determinari debet, i. e. agitur; pendet ergo ab alio, i. e. subest necessitatibus externae. *Lex* proinde Materiae, seu norma, qua Materia in agendo determinatur, est *Lex necessitatis externae, absolutae*.

30.

Materiae purae partes non differunt a se invicem, nisi sola sua existentia, i. e. spatii impletione, adeoque exclusione mutua, seu singularitate. Nihil enim inest in Materia pura, quod varietatem inducat; quare *partes* Materiae purae omnino *pares ac sui similes* esse oportet, easdemque *informes*, nullam habentes formam, quippe quae tantum e conjunctione Materiae cum Vi oritur.

B.) *Potentia pura.*

31.

Potentia pura (abstracte sumta) dicitur nobis id, quod non alio modo *est*, quam *agendo*. Quamquam igitur Potentia spatium non implet, tamen *est*, *est*, existit reapse, reale est.

32.

Ex hac notione Potentiae purae suapte intelliguntur *notae* eiusdem *essentialis*:

1) Potentia pura *est agendo*, proin ex se agit, ipsa se ad agendum determinat, i. e. *actuosa* est.

2) Potentia pura *est agendo*, proinde spatiū non implet, non habet igitur partes neque extra neque iuxta se positas, i. e. *simplex* est, ac propter ea tam cum alia aliqua Potentia simul esse (i. e. vna agere), quam et in ipsa Materia simul adesse, (in illa etiam agere) potest.

3) Potentia pura non habet partes extra se positas, se invicem in spatio excludentes, non est igitur singularis, non spatio conclusa, sed vna eademque pluribus inesse, in pluribus simul agere potest, i. e. *communis* est.

33.

Potentia pura est agendo, ex se agit, in se ipsa habet determinationem directam ad agendum, ergo suapte, *sua sponte agit*. *Lex* igitur *Potentiae*, seu norma, qua Potentia pura in agendo determinatur, est *Lex spontaneitatis*.

34.

Potentia pura, quia ex se suaque sponte agit, alia ab alia differre potest huius actuositatis *a) directione*, *b) intensione*, *c) specie*.

35.

Directio nempe actuositatis alia *immanens* esse potest, alia *transiens* in Materiam aut Potentiam

quandam; qua in re quidem iterum ea differentia concipi potest, vt haec directio actuositatis vel *vna* tantum determinata ratione viaque transeat in aliud quid, vel *pluribus* modis viisque.

36.

Intensio actuositatis aequa varia omnino assumi debet, ita, vt alia Potentia maiore, alia minore intensionis gradu gaudeat; et quidem ea cum differentia rursus, vt haec intensio actuositatis vel *vnum* eundemque duntaxat definitum *tenorem* in eadem Potentia continuo servet, vel aliqua Potentia pluribus ac diversis gradibus intensionis, quibus ad agendum semet determinet, polleat.

37.

(*Species* actuositatis omnino alia est in ea Potentia, quae, dum agit, ab eo, in quo, vel in quod agit, semet discernit, i. e. *sui conscientia est*; alia vero est in ea Potentia, quae agendo nunquam se discernit ab eo, in quo, vel in quod agit, i. e. *sui conscientia non est*. Atque illa *sui conscientia* iterum vel in certo quopiam ac definito gradu tantum consistere potest, ita vt neque ab omnibus aliis, in quae agit, neque aliter, nisi obscure, se discernat; vel illa *sui conscientia* perfectior est, quae nempe a pluribus, aut ab aliis omnibus, in quae agit, et quidem clare, aut distinete, semet discernere queat. Potentias vero hac specie actuositatis differentes diversis quoque nominibus distinguimus; illa nempe Potentia, quae *sui conscientia non est*, *Vis*, *λόχυς* vocatur, haec au-

tem, quae sui conscientia agit, *Mens, νόος (νῆσ)* appellari solet.

*α) Potentia pura sui non conscientia, seu
Vis pura.*

38.

Potentia pura sui haud conscientia, s. Vis pura, ex se quidem agit, verum ipsa se neque ab eo, in quo aut in quod agit, neque ab eo, quod in ipsam agit, discernere potest; unde saepe aliarum Potentiarum, a quibus se non discernit, directionem quoque recipit et patitur; fit proin *receptiva, passiva.*

39.

Quamobrem essentiales eiusdem notae (§. 32.) has nanciscuntur modificationes:

1) Est quidem actuosa, ex se agit (§. 32, 1.), verum sui non conscientia neque se, neque id, in quo aut ob quod agit, discernens, neque certum finem agendi sibi proponere, neque apposite ad eundem agere valet.

2) Est quidem simplex, spatium non implet, partibus caret (§. 32, 2.); at sui haud conscientia, se ipsa non discernens ab aliis, facile cum aliis Potentiis et cum ipsa Materia iungitur.

3) Est quidem communis, non habet partes mutuo semet excludentes (§. 32, 3.); ast cum ipsa Materia facile semet iungens, eodem saepe, qua Materia, spatio clausa latet.

40.

Potentiae sui hand conscientiae plures, s. Vires, eandem tenentes directionem, mutuo se iungere queunt, quo intensio earundem augescit; quae diversa intensione agentes diversam quoque directionem perse habent, ita solummodo coalescere possunt, si maior Potentia minores, quantumvis per se actuosas, tamen ad suam *quoque* directionem impellat, vnaque comprehendat ita, vt hae Potentiae *inferiores* s. secundariae evadant, illa *superior* ac rectrix ceterarum permaneat.

41.

Vis pura in agendo quidem sequitur legem spontaneitatis, cum Potentia sit ex se agens (§. 33.): verum quia, vt sui non conscientia, tam alias Potentias, quam et Materiam recipiens, easdem in se agere patitur, in actuositatis suae intensione ac directione subiacet *Legi spontaneitatis hypotheticae*.

β) Potentia pura sui conscientia, s. Mens pura.

42.

Potentia pura sui conscientia dicitur id, quod agendo est ita, vt se, tamquam Subiectum, ab alia quacunque seu Potentia seu Materia, velut Obiecto, discernat.

Potentiam puram sui conscientiam recte *Mentem vocare* licebit, quatenus a μέρος (potentia, robur,) derivata vox tam brutis animantibus, quam hominibus, quin et superioribus entibus, tribuitur. *Anima* compellatur eadem Potentia, quando cum Vi coniuncta efficit,

ut corpus aliquod vivat et sentiat. *Intelligentiam* alii vocant, nomine tamen ambiguo, mox absolute nimirum, mox relative accepto. Graeci veteres vocabulum *Δαιμων* eodem saepe significatu, quo nos Mentem, usurpasse videntur, derivatum nempe a δάω, δαίω i. e. scio, quasi δαίμων sciens, sui conscius.

43.

Hac sui conscientia essentiales notae, quibus Potentia pura, qua talis, omnino pollet, modifications obtinent sequentes:

1) Est *actuosa* (§. 32, 1.) sed, tamquam sui conscientia, ipsa se ab eo, in quod et ob quod agit, discernens, certum finem etiam sibi proponere, atque ad eundem apposite agere potest; i. e. scienter, *intelligenter actuosa est.*

2) Est *simplex* (§. 32, 2.), in aliis etiam simul esse agereque potest; sui tamen conscientia, semet ab his discernendo, pro se subsistens, i. e. *vna est et individua.*

3) Est *communis* (§. 32, 3.), in pluribus etiam simul vna eademque inesse, cum pluribus vna agere potest; verum sui conscientia semper vna eademque perseverans, ubique tantum ex sua indole ac lege agit, *sibi constat*, (quod recentiores dicunt: habet characterem.)

44.

Potentia pura sui conscientia in agendo aequa, sicut quaecunque Potentia, vtpote ex se agens, *Legem spontaneitatis* sequitur, et quidem, tamquam sui conscientia, tam ab aliis Potentiis omnibus, quam a Materia semet discernens atque immunem praestare va-

lens, Legem observat spontaneitatis absolutae (sui conscientiae), i. e. libertatis.

45.

In Potentiis autem sui conscientiis, nempe scienter ex se agentibus, aequo concipere licet actuositatis huic diversitatem, respectu *a) directionis, b) intensionis, c) speciei.*

46.

Potentia nempe semet ab aliis distinguens, et illa alia quoque inter se mutuo discernens, huius actuositatis eam potest habere *directionem*, vt

a) vel tantum discernendo agat, i. e. cognoscat, — haec immanens directio dici potest —

b) vel discernendo etiam ad id tendat, vt, quod discernit, idem etiam aut mutet, aut in statu suo conservet, i. e. velit; quam directionem transitivam appellare licebit.

47.

Intensio quoque actuositatis Potentiae sui conscientiae diversa concipi potest, cum et eadem Potentia ex se scienter agens mox maiore mox minore gradu suam exerere valeat indolem activam, et diversae quoque Potentiae diverso intensionis gradu ex indole sua primigenia pollere queant.

48.

Species vero actuositatis diversa in Potentiis sui conscientiis tantum per limites primigenios, quibus in iisdem conscientia sui constricta est, definitur. Inde namque

- Item*
- a) alia Potentia est obscurae tantum sui conscientiae capax;
 - b) alia clarae distinctaeque conscientiae sui capax est; quo facile intelligitur,
 - c) talem quoque Potentiam adesse, quae ceteris omnibus clarissime ac distinctissime, seu perfectissime sui conscientiae sit.

Quae ad notiones Materiae ac Potentiae curatius definiendas hactenus prolata sunt, vix quemquam ad eam cogitationem induent, vt doctrinam LEIBNITZII de Monadibus hic revocatam existimet.

49.

Potentia obscure sui conscientiae non potest non hac ipsa limitatione indolis suae alias notarum essentialium nancisci modificationes. Sunt autem sequentes:

1) Est actuosa, et quidem intelligenter actuosa, (§. 43, 1.); at quia se ab eo, in quod et ob quod agit, obscure tantum discernit, finem aliquem, at obscure duntaxat, sibi proponere, neque ad eundem clare tendere potest, i. e. *obscura intelligentia* (analogo rationis) agit.

2) Est simplex, pro se subsistens, una et individua (§. 43, 2.); verum quod ab aliis Potentiis et a Materia tantum obscure semet discernit, facile *cum Vi*, et ope huius *cum Materia unitur*.

3) Est communis, sibi constat, (§. 43, 3.); at sui tantum obscure conscientiae, non secus, nisi obscure duntaxat ex indole sua semper et ubique agit; *habet characterem obscure sibi constantem*.

Lex proinde, quam Potentia obscurae conscientiae sui capax in agendo sequitur, est *Lex spontaneitatis*

quidem *absolutae*, sed *obscureae*, i. e. arbitrium coe-
cum, libertas a coactione.

50.

Potentia clarae aut distinctae conscientiae sui capax omnino alias notarum essentialium determina-
tiones obtinet. Est enim

1) Non tantum intelligenter actuosa (§. 43, 1.); sed quia tam ea, in quae agit, quam ea, propter quae agit, a se tamquam Subiecto agente, et inter se vicissim, omnino clare pleneque discernit, non modo certum finem sibi clare distincteque proponere, verum etiam apposite ad eundem operari valet, i. e. *clara cum intelligentia agit*.

2) Non tantum simplex ac per se subsistens est (§. 43, 2.); verum quia clare sui conscientia semet a cunctis aliis distinguit, etiam a Vi et Materia quaque immunem se praestare valet, ergo *plene libera* est, suique iuris.

3) Non tantum communis est, vna eademque semper et ubique sibi constans (§. 43, 3.); sed sui clare conscientia etiam ex indole sua secundum notiones universales (ideas) et principia aeterna veri ac recti agere potest, i. e. *libertate morali gaudet*, habet characterem idealem.

51.

Lex igitur, quam Potentia clare ac distincte sui conscientia in agendo sequi debet, est *Lex spontanei-
tatis absolutae clarae ac distinctae*, i. e. libertas moralis.

52.

Atque haec duo, Materia pura videlicet ac Potentia pura, tamquam elementa sunt, ad quae Pulcrum absolutum pure (in se, abstracte) consideratum, analysi diligenter instituta, reducere licet.

CAPVT SECUNDVM.

CALLEOLOGIA PVRA SYNTHETICA

S E V

METHODICA.

53.

Materia pura et Potentia pura, tamquam elementa disparia, imo repugnantia, ad Pulcrum tamen absolutum purum efficiendum eo tantum valent, si concordia peculiari coalescant. Quamobrem de modo, quo inter se convenient, accuratius videndum est.

54.

Coniunctio Materiae cum Potentia procul dubio alia esse debet, quae inter Materiam et Potentiam sui non conscientiam (Vim) intercedat, alia, quae inter Materiam et Potentiam sui conscientiam (Mentem) obtineat; altera ab altera caute discernenda.

A.) *Coniunctio Vis purae ac Materiae purae.*

55.

Si *Vis* id est, quod sui non conscientum ex se tamen agit (38, sq.), *Materia* vero aequo sui non conscientia prorsus non agit, sed spatium implet (§. 27.): suapte sequitur, alteram cum altera facile iungi atque in unum coalescere posse. Etenim

1) *Vis* ex se agens, simplex et communis, (§. 39.) in *Materiam* quoque agere, simulque in et cum ea consistere potest, quia utriusque notae essentiales tantum abest, ut repugnant, ut se mutuo potius suppleant, cum altera eo gaudeat, quo altera caret, ad unum quiddam efficiendum; *Materia* nempe non agit ex se ipsa, *Vis* autem ex se ipsa agit; *Vis* non implet spatium, quod tamen *Materia* implet; *Vis* denique nullas habet partes, *Materia* partes habet.

2) *Vis*, pariter ac *Materia*, sui conscientia non est: altera se non discernit ab altera, neutra igitur ad separationem sui ab altera tendit (§. 39., 2.).

Haec Potentiae sui haud conscientiae, seu *Vis*, cum *Materia* coniunctio, Auctoris Naturae supremi decreto stabilita, etiam in experientia se manifestat, in qua nulla *Vis* absque *Materia*, nulla *Materia* sine *Vi* comparet. §. 102. sq. J. B. WILBRAND das *Gesetz des polaren Verhalt.* in d. *Natur.* (Giessen 1819. 8.) S. 345.

56.

Atque haec Potentiae sui non conscientiae ad *Materiam* accendentis cum eadem coniunctio proprie dicenda est *Effectio*, seu *Effectus*, (cuius manifestatio in spatio ac tempore *forma* vocatur) id vero,

quod efficitur, *Effectum* rectius nuncupare oportet, nempe *Corpus*, quale iam in experientia vbiique obvium, ac propterea *Materiae empiricae* nomine designandum, probe distinguere necessum est a Materia pura, cui nihil Potentiae adnexum cogitari debet.

Vocabulum *Effectus*, quo, mox activa, mox passiva significatione accepto, tam effectiones, quam effecta notantur, ambiguo sensu suo saepe confusionem parit, nisi accurate definiatur.

57.

Coniunctio tamen inter Materia et Vim non eadem vbiique obtinet. Nimirum

1) alia *interna* est, seu intima potius, quippe spontanea, propria, cum Vis pura ex se ipsa (interne) agens, sponte semet nectit Materiae purae, quo partes Materiae dein vna consistunt, ita ut quae eadē Vi vniuntur, sibi etiam similes fiant, sibi *assimilentur*. Atque haec intima connexio veri nominis *iunctio* (a iungo i. e. in vnum ago) est, quam hic praesertim spectamus. (*Innige Verbindung*, *Vereinigung*, ἔνωσις, quam *unionem* diceremus, si veterum scriptorum auctoritas suffragaretur.)

2) Alia est *externa*, nempe subditiva, coacta, cūm aliis Potentiae impulsu aut directione Vis aliqua in Materia agens huic associatur ita, ut etiam partes Materiae coagmentatae contineantur, quamdiu externus Potentiae peregrinae impulsus durat, quo cessante connexione haec quoque desinit, quae recte *complexio*, σύμπληξις, vel *aggregatio*, ἀθροισις, dicitur.

58.

Vis et Materiae coniunctio aliam Effectorum (corporum) speciem proferre debet, si Materiae cui-piam Vis vna tantum nectitur, aut etiam Vires plures, eadem tamen, (similigenae, $\delta\muογενεῖς$) iunguntur: aliam item, si ad Materia Vires plures diversae (diversigenae, $\xi\tauερογενεῖς$) accedunt. Scilicet e coniunctione Vis vnius, aut Virium plurium eiusdem generis, cum Materia, haud alia provenire possunt corpora, quam *prima*, quae vulgo *simplicia* dicuntur; e coniunctione vero Virium plurium diversarum cum Materia nascuntur *corpora secundaria*, quae magis composita vocantur.

59.

Vtrobique rursus Potentia (Vis) et Materia vel *aequaliter*, vel *inaequaliter* coalescit. *Inaequalis* erit iunctio, si alterutra, sive Materia, sive Potentia, tamquam potior praegravet, aut praevaleat in aliquo Effecto; *aequalis* est coniunctio, si tam Vis, quam Materia, pari dignitate ac valore insunt; quod tamen aliter cedit in corporibus primis, aliter in corporibus secundariis.

In corporibus primis videlicet, in quibus vnam Vim, vel plures Vires homogeneas, Materiae adiunctas esse novimus, aequalitas haec id efficit, ut Materiae partes spatium implentes uno modo, proin certa quadam ratione determinentur; inest igitur *certa determinatio, Bestimmtheit*.

2) Materiae partes omnes, quae adsunt, Vis eiusdem simplicitate pariter continentur, quin vlla earundem neglecta torpeat vel gravescat; inest proin omnium aequabilis *comprehensio*, *gleichmässiges Zusammenhalten*.

3) Materiae partes hoc spatum implentes eadem Vi communi determinantur et comprehenduntur, qua Materiae partes alia quoque spatia implentes; ergo in corporibus pluribus, diversa spatia occupantibus, eadem tamen Vi homogenea comprehensis, eadem etiam, adeoque *communis* adest determinatio; inest igitur in singulari Materia *determinatio eiusdem speciei* vel generis.

61.

Atque haec, sicubi corporibus primis inest, Materiae Visque coniunctio aequalis, quatenus interna (intima) simul est, *infimum gradum Pulcritudinis absolutae purae* constituit.

62.

In *corporibus secundariis*, magis compositis, in quibus ad Materiam puram (quae in se uniusmodi est, §. 30.) plures Vires diversae accedunt, *aequalitas coniunctionis* obtinet, si plures hae Vires diversae, suis quaeque Materiis iunctae, una quadam superiore Vi, quae omnes iungat, (omniugam vel totiugam ideo dicere liceat) ita continentur, ut singulæ, quamvis per se quoque actuosaæ, tamen unius huic Vis directionem præcipue sequantur, qua continuo ab aliis, ad complexum suum non pertinentibus, separatae comprehenduntur. (§. 40.)

63.

Aequalitas haec

a) *in coniunctione interna* (intima) Materiae Viriumque diversarum id efficit, vt Vires singulae secundariae (inferiores), suis Materiis iunctae, totidem adminicula spontanea et instrumenta interna sint ad directionem intensionemque Vis totiusque superioris sustentandam et conservandam, quae vi- cissim ab eadem illa Vi superiore sustentantur et conservantur;

b) *in coniunctione vero externa* Materiae Vi- riumque diversarum id praestat, vt vna Vis inten- sior plures Vires secundarias (inferiores) coërcens, ad totum complexum dirigat, externo tamen im- pulsu, non interna spontanea comprehensione, neque proin mutua conservatione vel instauratione.

64.

Coniunctio igitur eiusmodi aequalis et intima Potentiam inter et Materiam intercedens, vbi Vis vna superior ceteras inferiores, suis quasque Materiis iunctas, regit, nullam dominando opprimit, has con- sequetur notas essentiales:

1) Actuositas Virium cum inertia Materiae iun- cta *motum gignit internum.*

2) Simplicitas Vis partes Materiae plures intime iungens *vnitatem generat internam.*

3) Vis communis, in singularibus Materiae par- tibus et pluribus vnitatibus (complexibus) eadem, characterem communem speciei in singulari qua- vis vnitate (specietatem vocat FRONTO Gramm.) efficit.

65.

Effectum igitur illud, in quo Potentiae ac Materiae, nempe haec Virium diversarum cum partibus Materiae, coniunctio intima et aequalis adest, *altiore gradu Pulcritudinis absolutae purae* consistere dicendum est.

66.

Enimvero quantum Potentiae sui non conscientiae (Vi) antistat Potentia sui conscientiae (Mens): tantundem Pulcritudini secundi gradus antecellit ea, quae coniunctione intima et aequali Materiae Mentisque conficitur, de qua nunc agendum est.

B.) *Coniunctio Mentis purae ac Materiae purae.*

67.

Materia pura, tamquam iners omnino, neque ex se agere, nedum in Potentiam sui conscientiam tendens eidem se quocunque modo adiungere potest. At neque Mens pura, quamquam ex se agens, sive in Materiam puram directe (immediate) agere, sive cum ea directe semet coniungere valet, tum quod propter indolem a Materia plane diversam nullus modus coalescendi suppetit, tum quia per sui conscientiam ab eo continuo divellitur.

68.

At vero inter Potentiam sui conscientiam (Mentem) et Potentiam sui non conscientiam (Vim), ob existendi modum atque indolem utriusque parem (§§. 38. 42.), cognatio quaedam ac veluti necessitudo intercedit, qua in se mutuo directe atque ita agere possunt, vt

altera alteram, pro diverso intensionis perfectionis que suae gradu (§§. 34. 45.), non modo excitare, coercere ac reprimere, sed etiam directe pleneque sibi vnire queat.

69.

Vis autem, sicut in Mentem, uti nunc dictum est, directe semet insinuare potest, ita pariter Materiae quoque directe iungitur (§. 55.): eadem igitur velut quiddam interiectum inter Materiam et Mentem mediumque statui debet, cuius interventu illa, quae directe iungi nequeant, inter se ita nectantur, ut mutua obtineat communicatio.

70.

Quae mutua communicatio tamen inter Materiam et Mentem intercedente Vi aequabilis esse nequit, nisi Vis haec neutri parti proprie pleneque addicta, neutrius imperio singulari mancipata, sed vtriusque iussa potius pariter exequens, expedite promteque aquabiliter in vtramque operari valeat. Seu enim soli Materiae, seu Menti purae tantum adhaereat, vtrinque impedita fatiscit, oppressa exinanitur. Felicissime igitur mutua talis obtinet communicatio, si Vis intermedia inter Mentem et Effectum pulcrum secundi gradus (§. 65, sq.), in quo Vis una superior plures inferiores cum suis Materiis complectitur, consistit.

71.

Coniunctio vero Mentis et Materiae, qualis interveniente Vi efficitur, aequa duplex discernenda est, alia *interna*, *externa* alia. Et quidem

- a) *interna*, (intima) nativa, ingenua, cum scilicet Vis intermedia sua sponte continuoque inter Mentem et Materiam vltro citroque commeans, Mentis actus pariter facile ad Materiam, ac Materiae formas motusque ad Mentem desert;
- b) *externa*, adscita, subditiva, vbi Vis intercedens non sua sponte, verum destinato Mentis impulsu tantum, certos quospidam actus ad Materiam, Materiae impressiones quasdam ad Mentem transfert.

72.

Quia Mens tamen, non obstante hac sive nativa sive adscita coniunctione, conscientiam sui retinet, necessario conscientia esse potest

- a) *nexus* huius tam intimi, quam externi inter se Materiamque suam;
- b) ipsius Materiae, cum qua (externe) iungitur;
- c) nexus illius, qui in Materia sibi iuncta inter eandem et Potentiam eius intercedit;
- d) conscientia esse potest etiam solius normae legumque, quibus ipsa Mens ex indole sua, Materiae adversa, in agendo determinari debet.

73.

Sed ex ea diversitate, qua Mentes aliae tantum obscura sui conscientia pollent, aliae autem clara sui conscientia gaudent (§. 48.), ea rursus modificatio coniunctionis inter Mentem et Materiam intercedentis, tam internae quam externae, consequitur, vt alia *inaequalis*, *aequalis* alia sit.

a) Mens videlicet, vel obscure tantum sui conscientia, Vim intercedentem plane sui non conscientiam, nunquam recte a se discernens, huius Vis actionem ac directionem in se recipit, qua dein a sua norma se ipsam determinandi abducitur, Vis igitur praevalet;

vel Mens adeo clare ac perfecte sui conscientia est, ut et Vim intercedentem a se plene discernendo et Materiam simul a se removendo, neutrius actionem in se recipiat, verum suae tantum activitatis maxime conscientia sit, Mens igitur praevaleat. Quod vtrumque coniunctionem inaequalem inter Mentem et Materiam efficit. (1)

b) Si vero Mens clare sui conscientia Vim intercedentem recte quidem a se discernit, ita tamen, ut huius actionem etiam percipiat, quin per suam sua norma se ipsam determinandi, metuam Vim iterum agendi, deturbetur: ita coniunctio inaequalis inter Mentem et Materiam existit. (2)

Atque inaequalis coniunctio intima inter Mentem et Materiam, ubi Materia cum intermedia Vi praevalet, has modificationes praesertim consequitur:

1.) Mens actuosa per Vim intercedentem id, quod motu interno gaudet (§. 64, 1.), aequem ad agendum determinat, sed tamquam obscure sui conscientia, tantum ad finem quempiam obscure i propositum, ergo ad obscure intelligenter agendum.

2.) Mens quidem simplex, per se subsistens, sui tamen conscientia est, per Vim intercedentem id, quod unitatem habet (§. 64, 2.), secum etiam intime ner-

xum esse; sed *obscure* tantum huius *nexus intimi conscientia est.*

3) Mens, tamquam communis, Materiam suam singularem charactere generis (s. speciei) pollentem (§. 64, 3.), ope Vis intermediae, generalibus legibus suis, quarum *obscure* tantum *conscientia est*, convenienter ad agendum determinat.

75.
Illa vero *inaequalis coniunctio intima*, in qua *Mens* sui perfecte conscientia *praevalet*, oppositas fere nanciscitur determinationes: videlicet

1) Mentis clarissime sui conscientiae actuositas in se ipsa potissimum restricta, parum ac tenuiter in Materiam agit.

2) Mens omnino simplex ac per se subsistens, non modo Materiae sibi nexae non est conscientia, sed potius Materiae a se remotae conscientia est.

3) Mens communis, actuositatis sua normas legesque universales, quarum apprime conscientia est, non ad Materiam suam transfert, neque igitur illam iuxta easdem determinat.

76.
Aequalis autem coniunctio intima inter Mensem ac Materiam haec adipiscitur moderamenta:

1) Mentis actuositas voluntaria clare sui conscientia id, quod internum habet motum (§. 64, 1.), etiam ad externe, et intelligenter quidem, agendum determinat.

2) Mens omnino simplex ac per se subsistens, Vis intermediae adminiculo tamen intimum cum

vnitate Materiae (§. 64, 2.) nexus fovens, huius conscientia est.

3) Mens communis indolis sua normas legesque universales, quarum clare conscientia est, ad Materiam suam singularem charactere generico pollentem (§. 64, 3.), ope Vis intermediae transfert, illamque iis convenienter determinat.

77.

Potest quidem et Mens clarae sui conscientiae capax, si necessaria intensione caret, obscure sui tantum conscientia manere, ubi dein inaequali duntaxat inter se Materiamque suam internae coniunctioni recipienda idonea est.

Tum vero externa coniunctione adscita (§. 74, b.), Mens ad altiorem intensionis gradum evehi debet, quae destinato impulsu in Vim intermedium agens, secundum suas leges clare sui conscientiae Materiam determinet, vel impressiones eiusdem recipiat.

78.

Quae Mentis ad maiorem intensionem elatio atque incitatio vel aliquo tempore tantum durat, vel ad continuum stabilemque tenorem perducitur. Id vero ex indole Mentis clare sui conscientiae dupli via obtineri potest:

1) Vel enim Mens rectius intensa, Vis intercedentis ope frequenter et assiduo in aequalem cum sua Materia coniunctionem externe collocanda est tamdiu, donec suapte coniunctio haec aequalis permaneat, atque intima reapse fiat;

2) vel Mens primum sola est ad maiorem intensionem, claramque sui conscientiam, scorsim a Materia sua, perducenda perficiendaque, quo dein idonea fit, ut suapte, proprio impulsu, externae opis haud indiga, in Vim intermedium agens, legibus suis (vniversalibus) convenienter Materiam quoque suam determinare, vel impressiones eiusmodi recipere valeat, vnde sensim *aequalis* eiusmodi coniunctio, *intima* quoque et ingenua, quam Natura efficere solet, evadit.

79.

Atque haec *aequalis* intimaque coniunctio inter Mentem clare sui conscientiam et Materiam, Vis intermediae adminiculo effecta, *supremum Pulcritudinis absolutae purae gradum* constituit.

80.

Quocunque modo graduve demum *aequalis* haec et *intima Potentiae ac Materiae coniunctio*, seu Pulcritudo, existat, in has duas tamen species proxime divergit:

1) vel ab origine sua *aequabilis* est, facilis negotio nata, nullo inter Materiam Potentiamque conflictu turbata, leniter continuo procedens;

2) vel ex aliqua contentione minore maioreve inter Materiam et Potentiam, superatis et exaequatis, quae obstabant, difficultatibus enascitur.

81.

Si qua Potentia intensione tanta pollet, ut solito plures vel Materiae partes, vel vires secundarias

suis Materiis iunctas, absque molestia aut effusa contentione, certo tamen successu, aequaliter atque intimè vniat regatque: solito grandiorum, eumque pulerum adhuc, effectum sane producere debet; qui porro etiam in tantum augescere potest, ut pulcritudinis temperamentum, coniunctionis nimirum aequalitatem, excedens, sine limite progrediatur. Hae vero sunt viae, quibus *Sublime absolutum* nascitur.

Cui adversum est, cum Potentia quaedam contentione maiore, certaque cum confidentia successus, quidpiam Pulcri aut Sublimis adeo efficere ntitur, a minore vero et inferiore vi quapiam eliditur ac turbatur in aequalitate coniunctionis assequenda, quin tamen ipsa Potentia penitus intercidat, aut noxam contrahat. Id nempe *Ridiculum absolutum* vocatur.

Quo magis itaque Pulcritudo absoluta empiriea intimam Potentiae ac Materiae, velut elementorum suorum, coniunctionem et exactam vtriusque aequationem depositit, eo facilius minimo quovis ab eadem recessu laefactari aut vitiari debet. Cuius recessus infinita momenta ad has fere classes revocari posse patet:

- 1) vbi alterutrum elementum deest;
- 2) vtrumque adest, verum neque intimè, neque aequaliter coniunctum;
- 3) vtrumque adest intimè quidem coniunctum, at non aequaliter;
- 4) vtrumque adest aequaliter, non tamen intimè coniunctum.

83.

Pulcrum igitur absolutum purum, in quo Materia et Potentia, utraque absoluta pura, aequaliter intimeque iunctae sunt, multum differt a *Vero absolu-*
tuo puro. Verum nempe generaliter dicitur, quid-
 quid est (existit); quod si tamquam existens dun-
 taxat cogitatur, (i. e. mentis legibus convenienter
 repraesentatur) *Verum logicum*, s. intellectuale;
 quod autem re ipsa, in se, non tantum cogitatione
 nostra, existit, *Verum absolutum* (reale): quatenus
 denique in illo nil aliud, quam quod sit, (ex-
 istentia) spectatur, *Verum absolutum purum* (me-
 taphysicum) vocamus. Ac Verum hoc potest esse
 vel Materia absoluta pura (*sola*), vel talis Potentia
 sola; neutra vero, quia mutua coniunctione caret.
 Pulcrum efficit, sed utraque coniuncta etiam Vera
 esse debet. Pulcrum proin absolutum purum omnino
 Verum sit oportet; non omne Verum tamen vice
 versa Pulcrum est.

84.

Pulcrum absolutum purum a *Bono abscluto pu-*
ro quoque discernendum est. Bonum scilicet in omni
 genere appellamus, quod tale est, quale ex indole sua
 esse debet, (quod est natura absolutum, ait CICERO
 de fin. III, 10.). Quod dum non tantum cogitatione
 continetur, sed re adest vera, *absolutum* (reale),
 quatenus autem in illo nil aliud, nisi haec eius in-
 doles spectatur, *purum* vocari solet. Pulcrum abso-
 lutum purum igitur omnino aequo Bonum absolutum
 purum complectitur; at non omne Bonum tale vice
 versa Pulcrum dici potest.

85.

Multum denique discrepat Pulcrum absolutum purum a *Grato* etiam, sive *Iucundo*, (*von dem Angenehmen*), quippe quod in convenientia cum percipientis Subiecti natura consistens, nunquam in se tale s. absolutum est, sed relativum duntaxat. Pulcrum itaque abs. purum, quatenus ad naturam Subiecti humani refertur, Gratum et Iucundum sane se praestabit; at vero Gratum qualemunque nemo recte iudicans illico Pulcrum purum declarabit.

In his omnibus, quae ad notiones Materiae Potentiaeque puras informandas pertinent, exponendis, non tantum ab exemplis, quae sola experientia suppeditare potest, sed etiam a vocabulis e rerum vsu petitis eumque indicantibus, consulto abstinebamus; ne mens lectorum notiones pure iam prosequens, seu rebus, quas experientia miscendo velat, allatis a recto tramite avertatur, seu symbolicis vocum designationibus obfuscetur. Egregie monet F. SCHILLER, non modo poëta ingeniosus, sed et philosophos multos indicii subtilitate antecellens: „*Ein Schriftsteller, dem es um wissenschaftliche Strenge zu thun ist, wird sich desswegen der Beyspiele sehr ungern und sehr sparsam bedienen.* „*Was vom Allgemeinen mit vollkommner Wahrheit gilt, erleidet in jedem besondern Fall Einschränkungen; und da in jedem besondern Fall sich Umstände finden, die in Rücksicht auf den allgemeinen Begriff, der dadurch dargestellt werden soll, zufällig sind, so ist immer zu fürchten, dass diese zufälligen Beziehungen in jenen allgemeinen Begriff mit hineingetragen werden, und ihm von seiner Allgemeinheit und Nothwendigkeit etwas rauben.*“ Ueber die nothw. Gränz. b. Gebr. schöner Formen.

Quid autem vsus et experientia de rebus in se pulcris testentur, Sectione sequenti videamus.

SECTIO SECUNDA.
CALLEOLOGIA APPLICATA,
PHYSICA PVLCFRI ABSOLVTI.

S E Y

86.

APULERO ABSOLUTO PURO EO DISSET *Pulcrum absolutum applicatum*, seu *empiricum*, quod illud sola intelligentia concipitur, hoc autem in rebus, quas vsus et experientia sensibus obseruantur, deprehendimus. Pulcrum absolutum empiricum vero e Materia absoluta empirica et Potentia pariter absoluta empirica aequaliter intimeque iunctis existit. Quod ut clare intelligatur, prius exploranda est tam Materiae absolutae empiricae, quam id genus Potentiae, seu elementorum huius Pulcri, propria indoles, in quo *Calleologia applicata elementaris*, seu *analytica*, versabitur; dein vero synthesis vel coniunctio recta horum elementorum quaerenda est, cuius methodum ostendet *Calleologia applicata synthetica*, seu *methodica*.

Quod super exemplis de rebus in se
bucore ferent, sectione secundum alios.

CAPVT PRIMVM.

CALLEOLOGIA APPLICATA
ANALYTICA,

S E V

ELEMENTARIS.

87.

Qui rerum, quas vsus et experientia sensibus obiciunt, conscientis est, in iisdem *Externum*, quod agitur, ab *Interno*, quod agit, omnino discriminat, (§. 2.) haec tamen intime iuncta esse simul animadvertisit.

Inde est, vt LVCRET. II, 54. sq. ait, quod iam „pueri trepidant atque omnia coecis

„In tenebris metuunt;“

hinc spectrorum, lemurumque inanis metus nascitur, haec praecipua certe superstitionis, δεισιδαιμονίας (Cic. de nat. deor. II, 23.) fabularum physicarum, mythorum symbolorumque apud plerasque nationes seaturigo. Conf. FR. CREUZER *Symbolik u. Mythologie der alten Völker.* (2te Ausg. Leipz. u. Darmst. 1819. 8.) Th. I. p. 9. — F. C. BAUR, *Symbolik u. Mythologie des Alterthums.* (Stuttgart. 1824. 8.) p. 5, 30. f. — K. O. MÜLLER *Proleg. zu einer wissensch. Mythologie.* (Göttingen. 1825. 8.) p. 77., 269., u. a. — C. A. BÖTTIGER *Ideen zur Kunst - Mythologie.* (Dresden u. Leipz. 1826. 8.) p. 5. et al.

88.

Atque hoc Externum, quatenus agitur, cui semper adeo Interni plus minusve mistum est, *Materia*

empirica vocatur; Internum, quod in Externum, cui hoc modo iungitur, agit, *Potentiam empiricam* generali vocabulo compellare licebit. Vtraque autem hic tamquam *absoluta*, in se reipsa persistens, etiamsi a nemine percipiatur (§. 21.), consideranda est; quo respectu igitur vtriusque indolem nunc singulatim peruestigabimus.

A.) *Materia absoluta empirica.*

89.

Materia absoluta applicata, adeoque conditionibus empiricis obnoxia, dicitur, *quidquid spatium certum* (*locum*) *implendo est* (*existit*). Hanc Natura (§. 110.) tantum suppeditat originitus, eo quidem a Materia absoluta pura differentem, quod semper et vbiique iam sibi Potentiam aliquam unitam habet. In experientia igitur nullibi adest Materia pura, verum vbiique Materia Potentiam continens, i. e. *Corpus*; atque in quo vel plus Materiae purae inest, quam Potentiae, vel in quo Materiae potior habetur census, quam Potentiarum insitarum, illud praesertim vocatur *Materia, Massa*, v. c. *lapis, lignum, caro.*

Quam parum diligenter Materia empirica a pura distinguitur, vidimus §. 27. — PYTHAGORAS Materia hanc empiricam haud immerito δύαδα, νείκος et διχοσανσίαν compellavit; eodem sensu, quo HERACLITUS et veteres Physici asserebant, πάντα γίνεσθαι κατ' ἐμπειρίαν. DIOGEN. LAERT. IX, 1, 16. — Academici veteres et Peripatetici, teste CICERONE *acad. quaest.* 1, 24., „*de natura ita dicebant, vt eam dividerent in res duas: vt altera esset efficiens, altera autem quasi huic se praebens, ea, quae efficeretur aliquid. In eo, quod efficeret, Vim esse censebant; in eo au-*

,, tem, quod efficeretur, Materia m quandam; in utroque autem utrumque; neque enim materiam ipsam cohaerere potuisse, si nulla vi continetur, neque vim sine aliqua materia. Sed quod ex utroque, id iam Corpus, et quasi qualitatem (ποιότητα) quandam nominabant.“

90.

Haec Materiae Potentiaeque coniunctio tamen, quae corporibus inest, necquidquam obstat, quo minus altera ab altera saepe vel suapte divellatur, vel opera aliena dissocietur, eidemque denuo iungatur. Quin eidem Materiae, iam Potentia quadam praeditae, alias tamen plures Potentias superinducere licet; id quod innumera naturae scrutatorum experientia, et opificum, chemicis artibus vtentium, opera testantur. Adeo certum est, Materia empiricam, a Potentia empirica diversam, seiunctim quoque spectari posse.

Quibus modis Potentia Materiae iungatur, paulo post in Calleologia synthetica, quae de coniunctione hac peculiariter agit, explicabitur.

91.

Materia absoluta empirica omnino e sua cum Potentia qualicunque coniunctione peculiares nanciscitur determinationes notasque. Namque

1) non solum *iners* est, veluti Materia pura (§. 28, 1.); sed cum Potentiam habeat insitam, ex se actuosam, non tamen sibi sustinendae parem aut sufficientem, adeoque Materia praevaleat (§. 89.), etiam *gravis* est, ac pro varietate Potentiarum, quibuscum iungitur, *specifice* (rectius fortasse: specialiter) *gravis*.

2) Non tantum *partes* *habet*, adeoque extensa est, sicuti Materia pura (§. 28, 2.); sed quia Potentiae insitae simplicitate hae partes continentur et cohaerent, *composita* est, ac pro diversitate Potentiarum sibi nexarum, *specialiter composita*, i. e. alia rara, densa alia, rotunda vel angulata cet.

3) Non tantum singularis est, sicut Materia pura (§. 28, 3.); sed quia Potentiam insitam habet communem, quae in pluribus eadem esse potest (§. 32, 3.), etiam *specialiter singularis* est, i. e. singulare quiddam ad certam speciem pertinens (quod plerumque *Individualium* dicitur).

92.

Materiae empiricae *Legem* etiam aliter temperatam esse liquet, cum non modo Materiam puram contineat, quae suapte non agit, verum agitur, adeoque necessitatibus externae absolutae subiacet (§. 29.); sed etiam Potentia simul eidem iuncta insit, quae ex se agit, legemque spontaneitatis sequitur (§. 33.). Vnde clarum est, Materiam empiricam *Lege necessitatis hypotheticae* ad agendum determinari.

93.

Quamquam pura Materia, quae vniusmodi ac sui similis est, nullam varietatem continere potest (§. 30.): Materia tamen empirica, cui Potentia iam inest, exinde *Varietatem* ingentem concipit, quam in rerum natura miramur. Hinc nempe corporum incrementa defectusque, vigor ac tabes, multiformis species et varia dignitas, omnes denique ceterae vi-
cissitudines derivandae sunt.

94.

Quidquid igitur in experientia vsuque rerum occurrit, quod loco certo tamquam iners et grave (ex se non agens, neque se ipsum sustinens), e partibus dividuis compositum, ad certam tamen rerum speciem pertinens, consistit, *Materiae absolutae empiricae* nomine, quatenus Potentiae absolutae empiricae opponitur, notare licebit. Ita lignum, lapis, cera, metallum, quatenus et a Vi partes eorundem continente, et ab opificeis aut artificis eadem tractantis Potentia (manu nempe ac intelligentia) discernuntur; ita corpus animale ab animae Potentia seiunctum (cadaver), *Materies* dicuntur. Enimvero et animal totum, quatenus Potentiae cuidam opponitur, velut „caballum libicum rectori suo (equisoni) parentem“, MARTIAL. XII, 24., et hominem adeo integrum, alterius Potentiae cuiuscunque nutui et imperio plene subiectum, velut „Praetorem, qui praeda caballorum sedet“, JUVENAL. XI, 192., Materiam vocare convenit. Quin coetus quoque hominum minores maioresue, quos Potentia quaedam superior, ab iis omnino diversa, continet, regit atque gubernat, et ipsum denique Mundum, supremae Potentiae numinis indigum, vt Materiam hoc sensu considerare oportet.

B.) *Potentia absoluta empirica.*

95.

Potentia absoluta applicata, quae in rebus universis ad experientiae ambitum pertinentibus, proin conditionibus empiricis obnoxia, operatur, est *id,*

quod in spatio certo (s. loco) reapse agit, adeo-
que tempus implet. Hanc itidem sola Natura (§. 110.)
suppeditat originarie, ita quidem a Potentia pura
differentem, vt semper et vbique iam sibi nexam
teneat Materiam. In experientia igitur nullibi adest
Potentia pura, verum vbique tantum Potentia Mate-
riam complectens, seu *Corpus*; atque in quo vel
plus Potentiae purae adest, quam Materiae, vel in
quo Potentiae maior habetur ratio, quam Materiae
comprehensae, illud praesertim *Potentiae empiricae*
nomine venit; v. c. vis electrica, magnetica, cet.

Qua lege viaque Potentia Materiae nectatur, in-
ferius in Calleologia synthetica, ubi coniunctio haec
expenditur, dicendum erit.

Quemadmodum in Materia empirica observatum
fuit (§. 90.), ita etiam in Potentia empirica notare
oportet, coniunctionem utriusque, quam corporibus
inesse scimus, non obstare, quin altera ab altera,
mox suapte, mox peregrina ope, dirimatur, eidem-
que rursus connectatur. Quin plures etiam Poten-
tiae, tum eaedem, tum diversae, vni cuidam com-
plexui Materiarum quodammodo inseri, eidemque
iterum subduci possunt, id quod experimenta natu-
rae curiosorum complurima luculenter docent. Quo
perspicuum fit, Potentiam empiricam omnino a Ma-
teria empirica diversam, vt disiunctam aequem con-
siderari posse.

97.

Potentia vero, quatenus empirica (Materiae iun-
cta) est, per se iam notas essentials proprias obti-
net. Etenim

1) Non tantum actuosa est, velut Potentia pura (§. 32, 1.); sed, quia in Materiam sibi iunetam agit, etiam efficiens est, seu *efficax* (§. 56.). Haec nempe Vis est, quae corpora phaenomenaque naturae, ac motus omnes *efficit*.

2) Non tantum simplex est, sicuti Potentia pura (§. 32, 2.); verum, quod in Materiae sibi nexae partes simul agit, easdem continendo vnit, formam iis impertit, formans est, seu *formatrix* (§. 56.). Hinc fit, vt cuilibet corpori iam aliqua insit forma.

3) Non solum communis est, prouti Potentia pura (§. 32, 3.); sed in Materiam singularem agens eidem quoque communem hanc indolem impertit, individuo speciei (vel generis adeo) characterem tribuit, est *specifica*, seu *speciem facit*. Quamobrem quodlibet corpus ad certam aliquam rerum speciem sen classem refertur.

98.

Qualem in Potentiis puris, iam ex earum notione, intelligere licet actuositatis differentiam (§. 34. sq.), talem inter Potentias empiricas etiam experimur *efficienciae diversitatem* respectu a) directionis, b) intensionis, et c) speciei.

99.

Directio nempe Potentiarum quarundam *immanens* est, aut in se rediens, dum illae vel in se ipsae tantum agunt, vel a Materia, aut vna cum Materia, cui nexae sunt, recedunt in se ipsas agendo, e. c. mens reflexa, animus a corpore abstractus, vis attractiva, cet.: aliae vero Potentiae, vel eaedem quo-

que alio tempore, directionem habent *transeuntem* in Potentiam aliam, aut in Materiam, v. c. mens attenta, vis repulsiva, vis vitalis.

Praeterea Potentiarum directio (quatenus eam matheseos exemplo symbolice lineis designare licet) vel *rectilinea* est, e. c. vis lucis (non tamen ex BIOTI nec MALUSI sententia); vel *oscillans*, v. g. vis tonorum; vel *circularis* (gyrans), e. g. vis magnetica, secundum recentissimas AMPERII, OERSTEDTII et aliorum observationes. Sunt vero Potentiae, quibus plures, vel omnes hae directiones convenient, e. g. vis caloris.

100.

Intensionem Potentiae empiricae vnius eiusdemque interdum minorem, alio tempore maiorem esse, quotidiana docet experientia; quae id quoque comprobat, diversis Potentiis diversam intensionem inesse, minorem aliis, aliis longe maiorem, qua hae superiores, illae inferiores ac subiectae evadunt, quotiescumque in uno eodemque Materiarum complexu operantur.

101.

Praecipua vero, quam hic memorare oportet, differentia inter Potentias empiricas intercedens ea merito censetur, quae ex *efficacitatis* diversa specie profluit, quatenus aliae *sui conscientiae* agunt, aliae *non sui conscientiae*. Quae *sui* haud conscientiae quoscunque producunt effectus, *Vires* empiricae vocantur, *Vires* physicae, *Vires* naturae, quas in cunctis corporibus agere observamus; quae *sui conscientiae* operantur, *Mentes* (empiricae) appellari solent, quales

animantibus inesse scimus. Has tamen iterum inter se differre animadvertisimus eo, quod aliae *tantum obscurae sui conscientiae capaces* sunt, quales brutorum animas novimus; aliae vero *conscientiae sui clarae perfectiorisque capaces* sunt, nempe Mentes humanae. Vnde recta ratione concludimus, alias quoque Potentias altioris gradus adesse, conscientia sui multo perfectiore praeditas, qua via denique ad summae perfectionis Potentiam devenitur. Hic tamen, ubi de experientia sensibus circumscripta agitur, Mentes brutae humanaeque duntaxat in censem venire queunt.

102.

Ac vero *Potentia empirica sui non conscientia*, seu *Vis empirica*, ex hac indole sua speciali, notas obtinet proprias. Etenim

1) Actuosa est, ut Vis pura (§. 32, 1.), et *efficiens*, ut omnis Potentia empirica (§. 97, 1.); sed, quia sui non est conscientia, *efficax est absque certo fine consilioque*. Ita in lapide, metallo, planta cet. vires agunt suapte, efficiuntque corpus aliquod, sui tamen atque finis, in quem agunt, nesciae.

2) Simplex est, ut Vis pura (§. 32, 2.), et partes Materiae iungens formansque, ut omnis Potentia empirica (§. 97, 2.); sed quia sui conscientia non est, *formatrix coeca*, consilii certi vacua. Sic enim corporis cuiuscunque formam, quae interna Vi (empirica) definitur, nemo huius proposito factam autumabit.

3) Communis est, in plures Materiae partes simul agere potest, ut Vis pura (§. 32, 3.), et *specialis* est in individuo, ut omnis Potentia empirica

(§. 97, 3.) ; at quia sui haud conscientia neque partes Materiae, in quas agit, discernere, neque inter illas delectum facere potest, saepe in eas agit, in quibus vel prorsus nihil, vel nihil plene conficere valet : est igitur *specialis limitata*, constricta. Vnde tot species corporum imperfectae, abnormes, ludibria naturae, monstra, varietatesque nascuntur. Vid. J. F. BLUMENBACH *über den Bildungstrieb*. Göttingen. 1791. 8. pag. 70. sqq.

103.

Lex Potentiae huius empiricae sui non conscientiae eiusdem fere tenoris est cum ea, cui Materiaem empiricam subesse ostendimus (§. 92.), siquidem utrinque necessitatis (§. 29.) et spontaneitatis (§. 33.) mutua coarctatio adest. Quia tamen spontaneitas praestabilior necessitatis conditione limitatur in Potentia empirica, hanc potius lege *Spontaneitatis hypotheticae* teneri clarum est.

104.

Potentia sui conscientia empirica, tum ea, quae obscure, tum ea, quae clare sui conscientia est, eadem hac sui conscientia perpetuo semet a Materia discernens, nunquam cum illa directe (immediate) coniungi potest; semper igitur pura manere debet haec Potentia. In experientia tamen omnino Potentias tales cum Materia coniunctas esse videmus, in hominibus nimirum et animantibus brutis. Prius itaque dispercere oportet, quibus viis modisque coniunctio haec fiat, ut inde intelligamus, quales per eandem determinationes Potentiis sui conscientiis empiricis accedant; quod Calleologia synthetica docebit.

105.

In universum igitur advertere licet, quidquid certo tempore locoque tamquam ex se agens, partium immune, idem tamen in pluribus, consistit, *Potentiae absolutae empiricae* nomine venire, quantum Materiae absolutae empiricae opponitur. Id enim, quod in ligni, lapidis, metalli cet. partes agendo easdem comprehendit, quin ipsum partes habere dignoscatur, quod tamen et pluribus partibus eiusdem frusti, et pluribus frustis eiusdem speciei simul inest; id, quod organica corpora evolvit, format, nutrit et instaurat, cuius defectus tabem exitiumque adfert, certe a Materiae partibus diversum quid, Potentia absoluta empirica, dici debet. Animas, quae corporibus brutis humanisque vitam vigoremque impertunt, Mentem manumque artificis aut opificis Materiam quamcunque tractantis, Ingenium belli ducis exercitum suo arbitrio moventis, Intelligentiam principis populos egregie moderantis, et Mentem adeo supremam coelos terrasque gubernantem, pariter Potentias absolutas empiricas appellabimus.

CAPVT SECUNDVM.

CALLEOLOGIA APPLICATA
SYNTHETICA,

S E V

METHODICA.

106.

Potentia haec absoluta empirica, quantumvis perfecta, nihil pulcritudinis tamen in se continet, neque per se quidquam pulcri efficere potest; pari modo neque Materia absoluta empirica per se vñquam pulra est. Quare corpora, in quibus essentiales Materiae notas vel solas, vel potiores observamus, e. g. mortua, obesa, ignava, inepta, languida cet., pulcris haud accensentur; sed neque res, in quibus Potentiae notas essentiales vel solas vel potiores adverimus, v. c. vis electrica, galvanica, caloris cet. (si ab effectu recedas cogitatione) vel Mens etiam, quantum cogitat, iudicat, ratiocinatur cet., inter pulcras referuntur.

107.

Materiae igitur ac Potentiae, vtriusque absolutae empiricae, quantumvis adversae sibi mutuo sint, coniunctio tantum, eaque intima et aequalis, *Pulcritudinem absolutam empiricam* generat. Qui proinde Pulcri reapse in natura per se consistentis genesin, incrementa et decrementa intelligere cupit, coniunctionem hanc internam et aequalem empiricae Ma-

teriae realis, tam cum *Vi*, quam cum *Mente*, recte concipiatur oportet.

A.) Coniunctio Materiae abs. emp. cum *Vi* abs. emp.

108.

Materiam empiricam absolutam cum *Vi* absoluta applicata coalescere posse certa quapiam coniunctione, iam e notione Vis ac Materiae purae intelligitur (§. 55.): ipse vero rerum usus docet, talem consociationem omnino fieri, cum nulla Vis absque Materia, nulla Materia sine *Vi* uspiam adsit.

Tum hac experientia, tum ex eo, quod arctior quaevis coniunctio Vis et Materiae, cuius in nobis conscientia sumus, gratum sensum adfert, certum esse videatur, coniunctione Vis et Materiae supremi Auctoris naturae decreto stabilita, cuilibet *Vi* empiricae ab origine inesse nisum omnino Materiae semet iungendi. Conf. I. G. HERDER's *Ideen zur Phil. d. Gesch. d. Menschheit*. (2te Aufl. Leipzig. 1821. 8.) 1 Th. S. 164. f.; — subtilius tamen haec discernit I. B. WILBRAND in libro: *das Gesetz des polaren Verhaltens in d. Natur.* (Giessen 1819. 8.) S. 545.

109.

Potentiae actuositas Materiam afficiens propriæ vocari debet *efficientia*, efficacitas; ipsa Potentiae agentis cum Materia inertii coniunctio recte dicitur *effectio* (§. 46.), quae, quatenus a Subiecto percipitur (aesthetico respectu), *forma* est: id quod efficitur, *Effectum*, et quidem absolutum (reale), i. e. *Corpus* vocamus, (§. 56. 95.) quod mox qua Materia empirica (§. 89.), mox qua Potentia empirica (§. 105.) comparet.

Pulcrum ergo absolutum empiricum, i. e. quod in ipsa natura reapse consistat, tantum illud esse potest, in quo Materia et Potentia coniuncta, seu Corpus quoddam, adest. Neque igitur Materia pura (§. 27. sq.), neque Potentia pura cuiuscunque speciei (§. 37. sqq.), quae utraque quidem cogitatione, non tamen sensu percipi potest, pulcrae sunt.

110.

Coniunctio tamen haec Materiae Visque empiricae, seu Effectio, quam in experientia observamus, alia *interna* est, *externa* alia.

Interna nempe, seu intima, spontanea, ex propria determinatione Vis semet iungentis prodit, tamquam vera *Ένωσις* (*Vereinigung*), cuius notionem §. 57, 1. exposuimus. Atque haec eadem est, quae secus *Natura corporea*, *φύσις σωματική*, vocatur. Nasci, *γένναι*, nempe dicitur corpus, cum Vis aliqua suapte Materiae semet ita iungit, ut partes huius intimo nexu una consistant.

Externa vero est alicunde extrinsecus addita, subditiva, cum aliis Potentiae impactus Vim aliquam ita Materiae copulat, ut huius partes una contineantur (§. 57, 2.). Quae coniunctio, ubi non dedita opera, non destinato consilio fieri putatur, *Casus* vulgo dicitur; quae certo fine consilioque fit, *Ars*, seu rectius *artificium* nominari consuevit.

Quamquam de *Natura*, eo etiam, quem hic definivimus, sensu, statui potest, quod cel. GÖTHE (*Zur Naturwiss.* I. B. 3. H. S. 304.) ait:

Natur hat weder Kern noch Schale,
Alles ist sie mit einem Male;
aut quod HIPPOCRATES dicit (*de locis in homine*): οὐδὲ

Σοκέτι ἀρχὴ μὲν οὐδεμία εἶναι τοῦ σώματος, ἀλλὰ πάντα
δύνατος ἀρχὴ καὶ πάντα τελευτὴ: vel quod I. C. A. HEINROTH
(*Lehrbuch d. Anthropologie*. Leipzig 1822. 8. — §. 23.)
asserit: „Nur Menschenwerke sind zusammengesetzt; lebendige Wesen gehen aus ursprünglicher Einheit her-
vor: rationem viamque tamen, qua haec intima con-
iunctio, supremae quippe Potentiae opus, reapse fiat
aut perfici queat, haudquaquam concipiimus. Quam-
obrem ingenue potius fatemur cum cel. HALLERO:

„In's Inn're der Natur dringt kein erschaffner Geist;
et cum sagacissimo G. E. LESSINGIO:

„Der Wunder höchstes ist,

Dass uns die wahren, ächten Wunder so

Alltäglich werden können, werden sollen.“

141.

Licet in hac vtraque coniunctione, tam interna,
quam externa, Vis et Materia omnino absoluta em-
pirica, proinde vera et realis, adsit, vnde *realitas*
(*Wirklichkeit*) seu *veritas obiectiva*, (*Obiectivitas*
aliis dicta) consequitur: alia tamen est *veritas*
naturae, *Naturwahrheit*, quae mox ipsa Natura,
mox Veritas *νατ' ἔξοχην* dicitur, ipsa nimirum in-
terna coniunctio; alia est *veritas artis*, externae
coniunctionis effectus.

Ita herbae, flores, arbores e terra soloque, ra-
mi, frondes, palmites e stirpibus arborum, sponte
sua, interna coniunctione procrescentes, cum
ipsa tellus

omnia liberius, nullo poscente, ferebat;
Virg. Georg. 1, 127. nasci, natura proveni-
re, realem veramque Naturam continere dicuntur;
quae autem externa coniunctione tamquam semina,
propagines, taleae, malleoli aut viviradices in ter-
ram demissae seruntur, vel ut surculi traducesve

in stirpes insitae coluntur, arte produci, realem veramque artem continere, censentur. *Virg. Georg.* 1, 133. sqq. *Ovid. Metam.* 1, 101. sqq.

Ita nasus homini a natura vere ac realiter datus, si morbo casuve truncetur, arte rhinoplastica realiter vereque restitui potest.

Externa tali coniunctione, seu casu, seu arte, tamen efficitur saepe, vt vbi Materiae Vis congrua, antehac remota, nunc addita fuerit, haec dein suapte ad illam accedens ita se nectat, vt interna coniunctio suboriatur; sicut stiriae naturaliter congelant, stalactitae concrescunt, lapilli calcarii ad speciem vngularum caprinarum in lacu Balaton conformantur; satae cultaeque fruges et arbores laetae procrescunt, surculi arboribus insiti accrescunt, nasus arte formatus organice coalescit. Potest igitur externa coniunctio, seu ars casusve, in coniunctionem internam, seu naturam, transire.

Vocabulum *Ars* ab ἄρειν, ἄργαται, aptare, nectere, derivari, vix dubitare licet. — Hic tamen nondum de arte pulchra sermo est, eo minus vero de arte relativa, seu aesthetica, quae longe alios habet respectus; sed de coniunctione destinata externa qualicunque, seu de effectione aut opere, quatenus Naturae opponitur, ergo de Arte generaliter accepta, quo sensu et naturae et arti veritas seu realitas inest. Tales sunt artes physicae, chemicae, ac medentes, quae experimentis, ad coniunctionem externam internaque Vis et Materiae scrutandam idoneis, persiciuntur, quare naturam speculum artis recte vocat, BACO VERUL. *de augm. scient.* L. V. c. 2.

1) Pulcritudinis absolutae empiricae necessariam dotem esse veritatem naturae, seu obiectivitatem, seu naturam, i. e. coniunctionem internam Potentiae Materiaeque.

2) Naturam omnem, quia coniunctionem hanc internam continet, hac Pulcritudinis dote originitus praeditam esse; qua vna dote tamen Pulcritudo nondum omnino perficitur.

3) Artem, seu coniunctionem externam Potentiae Materiaeque, haud secus viam pulcritudinis ingredi posse, nisi ad coniunctionem internam transeat, i. e. nisi natura evadat, legibus naturae pareat.

Vniverse igitur omnino effari licet, quod BOILEAU dicit:
Rien n'est beau, que le vrai, le vrai seul est aimable;
Il doit regner par tout, et même dans la fable;
et quod KÉRATRY du Beau II, p. 130. ait: „*Il n'y a pas de beauté, sans vérité, c'est une chose dont on est forcée de convenir.*“ Quam diversae autem huius veritatis species occurrant, caute distinguendae, deinceps explicabitur.

143.

E coniunctione interna Materiae cum Vi vna, et cum Viribus etiam pluribus, iisdem tamen paribusve, generantur corpora prima, seu *Elementa* (§. 58.), quae empirice simplicia sunt, quia nihil amplius, nisi Materiam et Potentiam puram continent, in quas empirice resolvi nequeunt. Talia sunt lux, aér, metalla, soni simplices, colores primi cet.

E coniunctione interna Materiae cum Viribus pluribus disparibus nascuntur *corpora* magis composita (§. 58.), *secundaria*, omnia nempe, quae praeter elementa rerum naturam efficiunt; e. c. terrae, lapides, minerae, plantae, corpora animalium cet.

144.

In utraque hac rerum classe, quam experientia suggerit, alia advertere licet corpora, quae *aequalem*, alia, quae *inaequalem* continent Materiae Visque coniunctionem. Inaequalis quidem inest illis, in quibus vel Materiae vel Vis potior est, ut adeo alterius ulterius essentiales notae praecellant atque abundant. Aequalis vero est coniunctio, dum et Materiae et Vis essentialibus notis pari gradu conspicuis, altera alteram non tantum non opprimit, sed potius sublevat; quod tamen alium sortitur effectum in elementis, alium in ceteris corporibus.

145.

Atque in *elementis*, seu corporibus simplicibus, *aequalis coniunctio* iam e puro conceptu suo (§. 60.) easdem notas requirit, quas eidem convenire solers experientia quoque confirmat. Nempe

1) *certa quedam determinatio*, qua et Vis ad Materiam omnem determinandam sufficiens actuositas, et Materiae Vim plene occupantis inertia patescit. Quare in coloribus sonisque simplicibus, metallis aliquatis, in ipso lucis nitore, hacc determinata, ratio coniunctionem aequalem indicat.

2) *Par et aequabilis omnium ac singularium partium comprehensio*, qua et Vis eiusdem ad Materiae partium cunctarum comprehensionem aequa sufficiens simplicitas, et Materiae partium ad Vim ex plendam sufficiens copia pariter constat. Quo fit, ut in metallis, sonis, coloribus cet., qui hac aequali coniunctione gaudent, omnes partes pari vigore contineantur, nulla delitescat vel torpeat, nulla magis compressa quam altera deprehendatur.

3) *Character speciei determinato corpori singulari* (individuo) *insitus*, quo et Vis eiū dem simul in pluribus agendi communis potestas, et Materiae singularitas certum spatiū occupans apparet.

Ex his notis absolutis calleologicis deinde, quantum ad Subiectum aliquod percipiens referuntur, existunt aestheticae notae firmitatis, puritatis et significantiae, — de quibus mox in Aesthetica agemus. — In quo corpore simplici hae notae desiderantur, illud inaequali coniunctione Vis et Materiae laborare certum est,

Quae notae cum intimam et aequalem Vis ac Materiae absolutae empiricae coniunctionem ostendant, eadem quoque Pulcritudinis absolutae empiricae, quam hac intima et aequali coniunctione Vis ac Materiae contineri statuimus (§§. 21. 86. al.), indicia omnino sunt.

Atque hac ratione *primum*, utpote infimum, Pulcritudinis absolutae empiricae *gradum* a Natura nobis assignatum dignoscere licet in rebus corporibusque quibusvis simplicibus.

Eandem viam ad explicandam tonorum colorumque simplicium pulcritudinem inire tentavit I. I. ENGEL in dissertatione „Über die Schönheit des Einfachen“ *Kid. Kleine Schriften. Berlin. 1795. 8. S. 53. ff.*, quam tamē ad metam usque prosequi pigebat. Quod praeterea de grato effectu soni et coloris pulcri simplicis addit, ad pulcritudinem relativam potius attinet, quam, licet in usu vitae haud negligendam, in scientia tamen caute separandam esse, mox videbimus.

Sententiam nostram de notis, quibus pulcritudo tonorum colorumque per se spectata discernitur, egregie comprobant observationes virorum naturae peritissimorum, e. c. E. F. F. CHLADNI in opere: *die Akustik.*

Leipzig. 1802. 4. S. 3. LA GRANGE Recherches sur la nature et la propagation du son. Sect. II. §. 64. conf. Miscell. Taurin. Tom. I. — DIDEROT principes généraux d'Acoustique; conf. Memoires sur diff. sujets de Mathematiques par M. DIDEROT. Paris 1748. 8. p. 87. sqq. — GÖTHE Zur Farbenlehre. I, §. 695. et aliorum.

117.

In corporibus secundariis, magis compositis, aequalis coniunctio iam e notione pura §. 62. exposta, cum effectum producere debet, quem rerum vsus adeo commonstrat. Vbi enim Vires multae disparés, suis quaeque Materiis iunctae, aequaliter inter se vniendae sunt, id secus fieri haud potest, nisi Vis aliqua superior ceteras omnes tamquam inferiores (§. 40. 98.) ita complectatur, vt hae quidem per se omnino agentes, superioris tamen Vis etiam sequantur directionem, qua, tanquam communi vinculo et inter se contineantur, et aliae, ad complexum hunc non pertinentes, arceantur. Quae coniunctio aequalis, sicut e conceptu puro eiusdem (§. 63.) intelligitur, ita in experientia sane, rursus aliter evenit, si interna (intima) est, aliter si externa.

118.

Coniunctio haec aequalis nimirum, quando *interna* simul est (§. 110.), Vires inferiores quavis, Materiis suis nexus, spontaneo ac proprio motu suo ita directas et intensas habet, vt, licet omnino pro se agant, tamen etiam simul totidem adminicula et instrumenta sint, ad supremae Vis directionem intensioñque sustentandam et conservandam, quae Vis eadem superior vicissim illas inferiores reficere tueri-

que valeat. Vires inferiores, suis Materiis iunctae, tamquam instrumenta spontanea Vis superioris, *Organæ* (quasi ἔργα) vocantur, vnde Vis illa superior, quae ceteras regit atque tuetur, *organica Vis*, ipsa haec Virium ac Materiae coniunctio aequalis interna *Organismus*, effecta vero hoc modo comparata, *organica corpora* compellantur.

Vim superiorem, quae Vires inferiores, Materiis quasque suis intime iunctas, dirigit et instaurat, *organicam* esse *Vim*, Physiologorum aëvi nostri peritissimorum iudicio firmatur, refragante nonnihil *viro* clar. JOSEPHO WEBER, in libro: *Physik als Wissenschaft, oder Dynamik der ganzen Natur*. Landshut. 1819. 8. — §pho 35. Anm. — Veteres eandem in *calido* seu *igneo* quaerebant, *a quo et animantia omnia, et ea, quorum stirpes terra continentur, et nasci sit necesse et augescere*. CICERO *de nat. Deor.* I, 10. Recentiori aeyo alii eandem spiritum esse credebant, qui nervis inesset, alii fluidum aetherium, vim plasticam, vim vitalem alii; *Vir* clar. BLUMENBACH longe solertius indolem eius in-dagans *nism* *formativum*, *Bildungstrieb*, appellavit in dissertationibus teutonico idiomate *Göttingae* 1781, 1789. et 1791. 8. et latino sermone *ibid.* 1781, editus. Conf. praeterea HERDER *Ideen zur Geschichte der Phil. der Menschheit*. T. I. lib. 2. GÖTHE *zur Naturwiss.* I. B. 2. H. p. 112. sq. et 156. sqq. C. F. HELLWAG *Physik des Unbelebten und des Belebten*. Hamburg. 1824. 8. p. 175. sq. — G. R. TREVIRANUS *Biologie*, I, 51. sqq. IV, 629. sqq.

119.

In *organismo* igitur coniunctio intima et aequalis inter Vim et Materiam intercedens id efficit, ut proprietates vtriusque, licet oppositae, in eodem corpore tamen se mutuo supplemente et exaequantes coalescant. Scilicet

1) Inertia Materiae per actuositatem Vis intime iunctae suapte moyetur (motu interno), sicut ex adverso actuositas Vis per Materiae intime nexae inertiam excipitur ac restringitur, quo fit, ut quod ob Materiae inertiam deficit, actuositate Vis suapte instauretur (intus susceptio); vnde motus organicus existit, seu *vita corporea, vita physica*.

2) Partes Materiae per simplicitatem Vis intime vnitae continentur, sicut e contrario simplicitas Vis per Materiae partes in spatio expletur, quo fit, ut quod ob Materiae partes plures iuxta et extra se positas extensum est, simplicitate Vis intra limites certos coérceatur, vnde Totum efficitur, (*vnius corporis plenitude, ait Servius ad Virg. Aen. 1, 489.*) *vunità organică*.

3) Quod in Materia singulare semper est, per id, quod Vis commune habet, ampliatur; ac vice versa, quod Vis commune habet, id Materiae singularitate limitatur; inde autem character speciei (et generis) singulari cuique corpori accedit, *organicus character specialis* (*specificus organismus*).

120.

Organismus, cui hoc modo Vis et Materia non solum intime, sed etiam aequaliter, vnitae suppetunt ad vitam, integratatem indolemque speciei conservandam, vegetus est, viget; qui autem Viribus inferioribus ac Materiis organice iunctis ita insuper abundat, ut superiore Vi sua organica, absque detrimento sui, aliud organismum similem ex se producere valeat, is *florere* dicitur. Flos igitur, tamquam altior aliquis gradus organismi, omnino perfectionem

quādām coniunctionis intimae et aequalis inter Vim et Materiam intercedentis continet, vnde pulcritudinis momentum, quod eidem prae ceteris organismi partibus inest, perspicitur. Conf. GÖTHE *Metamorph. der Pflanzen*, in opere: *zur Naturwiss.* I. B. 1. H. p. 56. sq. — Fr. SPRENGEL über den Bau und die Natur der Gewächse.

Quoniam vero superior Vis, quae Materiam hoc modo aequaliter intimeque sibi iunctam tenet, tantum Potentia sui hāud conscientia, adeoque inferioris speciei (§§. 101. 102.) est; Organismum inde consurgentem quoque tantum *inferioris ordinis* esse patet, qui tum *vegetabilis*, tum *animalis* dicitur, diversis plantarum et corporum animalium formis conspicuus.

Organismi huius initia tamen ac veluti praegressiones (praeformations) iam in chemica elementorum affinitate, atque in iis, quae anorganica corpora vocant, praesertim in crystallis deprehenduntur! Conf. ERSCH u. GRUBER allg. *Encyclop. der WW. u. KK.* v. *Anziehung.*

122.

Quilibet organismus ipse simplicior evadere potest organum amplioris alicuius organismi, plures vires et materias pariter organice iunctas superiore quadam Potentia comprehendentis. (§. 40.) Quo plures vero tales organismi inferiores, tamquam totidem organa singularia, ad superiorem aliquem organismum efficiendum conspirant, eo nobilior Potentia sit oportet, quac Totum eiusmodi organice iungat regatque.

Vid. HERDER *Ideen z. Gesch. d. Phil. d. Mensch.*
 Tom. I. lib. 5. — OKEN *Naturgesch.* f. Schul., I, 43,
 coll. 61. 65. 73. — GÖTHE *zur Naturwiss.* I. B. 3. H.
 S. 273. sq. — I. H. T. v. AUTENRIETH *über den Men-
 schen.* &c. *Tübingen.* 1825. 8. S. 116. sq.

123.

Coniunctio aequalis inter Materiam et Vires dis-
 pares intercedens, quando *externa* est, pariter Vi
 superiore id efficit, vt vires inferiores, suis materiis
 iunctae, contineantur diriganturque ad complexum
 quendam sustinendum, verum externo tantum im-
 pulsu, non interna comprehensione, neque proinde
 mutua conservatione seu instauratione. Vires hae in-
 feriores agunt aequa tamquam instrumenta, sed ex-
 terna, adscita, subditiva superioris Vis, vocantur
 que *machinae* (*μηχαναι* artificia), vnde Vis ipsa
 superior ceteras regens, *mechanica Vis* dicitur;
 coniunctio autem haec aequalis externa inter Vim et
 Materiam est *Mechanismus*; effecta denique hoc mo-
 do comparata, *mechanica corpora*, artificialia ope-
 ra, vel *machinas compositas*, nominamus.

124.

Enimvero sicut externa coniunctio Vis et Ma-
 teriae qualiscunque in coniunctionem intimam tran-
 sire potest (§. 111.), ita etiam coniunctionem ex-
 ternam aequalem ad aequalem intimam reapse inter-
 dum evehi, dubio caret. Exemplo sunt plantationes
 consitionesque curatae, insitiones atque emplastratio-
 nes (inoculationes) solertes, et cetera terram, fru-
 ctus floresque colendi viae; ipsa denique valetudinis
 curatio, quae sine hominum opera nulla esse po-

tuisset, vt ait CICERO *de offic.* II, 12. Quaelibet *ars* igitur colendi curandique corporis organici huc spectare videtur, quippe quae nunquam pulcritudinem absolutam, (seu perfectionem, consequi potest, nisi Naturam sequatur, ipsaque Natura evadat.

Hoc sensu asserebat cel. I. CH. REIL *allgem. Therapie*, pag. 393.; „*Die Kunst* (auch *die Heilkunst*) „*ist das positive Setzen eines Äussern, womit das Innere sich innig (vbi addendum foret: und gleichmässig) vereinigt.*“ 125.

Haec igitur Materiae Potentiaeque (coniunctio intima et aequalis, quae in corporibus organicis inest, i. e. *organismus physicus perfectus, alterum, eumque altiorem, Pulcritudinis absolutae empiricae gradum* definit.

Quo limite constituto iam nunc Pulcritudo realis, quae corporibus elementaribus (simplicibus) inesse potest (§. 116.), ab ea Pulcritudine reali (absoluta empirica), qualem corpora cetera inanimata continere queunt, facile discernitur.

126.

In hoc altero Pulcritudinis absolutae empiricae gradu tamen plures occurrere solent varietates nexus illius multiplicis, qui inter Vim et Materiam obtinet (§. 4.):

1) *Naturale*, nativum, naturae conseftaneum, (et artefacto et violento coactoque oppositum) e coniunctione interna (intima) Vis et Materiae provenit (§§. 110. 118.).

2) *Magnum*, (exili, pusilloque oppositum) e Materiae partium solito plurium coniunctione cum Viribus pluribus exsturgit.

3) *Gracile ac Subtile*, das *Niedliche*, (vasto et informi oppositum) e Materiae partium solito pauciorum intima coniunctione cum Vi suboritur.

4) *Varium*, (vuniformi oppositum) in coniunctione Materiae cum Viribus pluribus directione atque intensione diversa praeditis consistit.

5) *Novum*, (obsoleto tritoque oppositum) e coniunctione Materiae cum Viribus praecipue spontaneam actuositatem exerentibus provenit.

6) *Vividum*, seu *vivax*, (ignavo languidoque oppositum) e coniunctione Materiae cum Viribus intensione peculiari pollutibus oritur.

Quae omnia, licet omnino coniunctionem aliquam Vis et Materiae contineant, Pulcritudinem tamen attingere nequeunt, nisi haec eorundem coniunctio aequalis et intima simul evadat, adeoque organismi naturalis concipiat qualitates (§. 119.)

Ita vero intelligitur, Pulcrum quidem et nativum, et magnum, et varium cet. esse posse: neutiquam tamen ex adverso quidquid nativum, magnum, varium cet. est, eo ipso iam Pulcrum esse debere.

127.

Ad altiorem eumque supremum Pulcritudinis absolutae empiricae gradum evehit Potentiae sui conscientiae (seu Mentis) ac Materiae intima et aequalis coniunctio, de qua nunc agendum est.

B.) Coniunctio Mentis et Materiae absolutae empiricae.

128.

Quod e conceptu puro Potentiae sui conscientiae Materiaeque perspicere licet, alteram cum altera di-

recte iungi non posse (§. 67.), id in corporibus animatis etiam experimur, vt pote in quibus Mens haudquaquam *immediate* seu *directe* in Materiam corporis agit, sed ad minicula Virium partibus Materiae iunctarum, ac praesertim ope Vis organicae superioris, qua totum corpus ceteroquin regitur (§. 70.). Quod etiam inde concludere licet, quia non aliis corporibus, nisi organicis, Mentem inesse videmus.

129.

Exinde porro, quod quaelibet Materia absoluta empirica iam aliquam Vim continet intime sibi nemoram (§§. 89. 94.), intelligitur, cur Potentia sui conscientia, seu Mens, in quamlibet Materiam empiricam, in quodvis corpus, agere queat. Omnis autem actio Mentis in Materiam certe vtriusque coniunctionem aliquam requirit, quae tamen alia *interna*, alia *externa* distinguenda est.

130.

Interna (intima) coniunctio nimirum est, quando Mens suapte, propria determinatione ac proclivitate, plerumque ita obscure sui conscientia, vt quasi non voluntaria videatur, ope Vis intermediae, in Materiam fertur, cumque ea postea simul agit; vbi Vis intermedia dein continuo inter Mentem et Materiam empiricam quasi vltro citroque commeans Mentis actus pariter facile ad Materiam, atque huius impressiones ad Mentem defert.

Atque haec *intima coniunctio* Mentis et Materiae, nullibi secus, nisi in animantibus brutis hominibusque inter animam corpusque subsistens, eadem

est, quae *Natura animata*, (*psychica*), φύσις ἐμψυχος,
seu, ingenita cuique animanti indeles, *ingenium*
dicitur.

CICERO *de finib.* V, 43. (ed. Ernest.) haec ita
profert: „Animi autem, et eius animi partis, quae
„princeps est, quaeque Mens nominatur, plures sunt
„virtutes, sed duo prima genera: vnum earum, quae
„ingenerantur suapte natura, appellanturque non vo-
„luntariae, (vt) docilitas, memoria; quae fere omnia
„appellantur vno *ingenii* nomine.“ — Conf. praeser-
tim I. KANT *Critik der Urtheilskraft.* (Berlin 1793. 8.)
pag. 181. sq. qui *ingenium* ad scientias aptum, ab *in-
genio* ad artes puleras idoneo differre, aliaque subtili-
ter omnino indigitat, haud accurate tamen explicare
videtur. — De his vero postea.

131.

Quod interna talis coniunctio ex se ipsa prola-
tum extra se producit, per se subsistens, *Opus Na-
turae animatae* dicitur, quatenus Materia magis
respici solet; *Opus Ingenii*, cum forma insita potius
consideratur. Quod vero extra se facit non per se
subsistens, sed in alia Materia externa permanens,
Effectus Naturae animatae, vel *Effectus Ingenii*
vocari debet.

Leue, quod bombyx pendulus vrget, opus (MARTIAL. VIII, 33.), tela tenuissima, quam araneus texit,
favi, quos apes affabre fictos melle complent, *Naturae animatae* sunt opera. — Sermonem humanum, cantum-
que, formas denique imaginatione conceptas, (quas poëta, pictor, sculptorue deim externe designant) quatenus ex coniunctione hac intima oriuntur, *Opera in-
genii* nominamus. — Cum ayes nidificant, fibri seu ca-
stores habitacula struunt, *Effectus Naturae animatae* conspicimus; forma, quam artificis mens manusque
marmori, ligno, aerique imprimit, *Effectus Ingenii*
rectius vocatur (licet vtriusque generis effectiones quo-

que , improprie tamen , per metonymiam , *opera vulgo compellari soleant*).

132.

Externam coniunctionem Mentis et Materiae dicitur eam, quae non est spontanea, non nativa, sed adscita, subditiva, ubi Mens externo quopiam impulsu (alius Potentiae ductu, iussu, coactione, vel extermi finis cogitatione), ope Vis intermediae in Materia agit. Atque haec externa coniunctio Mentis et Materiae vocalitur *Ars* (eodem fere sensu, quo §§. 110, 111, nisi quod hic Potentia sui conscientia est, quae cogitur), quatenus Naturae opponi solet; *rebus additus homo* dicitur BACONI DE VERUL. de augm. Scient. lib. 41.; eademque alias *industria*, *diligentia*, *cura*, *labor*, cet. nominari consuevit.

„*L'art en général est l'industrie de l'homme appliquée aux productions de la Nature*“, ait DIDEROT *Syst. des connoiss. humaines*. Quo maior nempe Mentis applicatio contentiove necessaria est ad aliquid in Materia efficiendum, eo magis eandem nomen Artis mereri putant; „*quo illud quoque excluditur, quod dicunt, non esse ARTIS id, quod faciat, qui non didicerit*“ , ut QVINTIL. II, 17, 11, (ed. Spalding.) loquitur; et pariter advertit I. KANT *Critik d. Urtheilskr.* p. 175; quare operas quoque mercenariorum ab artibus quibusvis distinguit CICERO , de off. 1, 42.

*Arte vero efficitur
ut non sibi, sed domino, venetur vertagus acer.* MARTIAL.
*In curru modo dat fluitantia rector
Lora, modo admissos ARTE retentat equos.*

OVIDIUS.

In arte versantur et opifices et artifices, qui externi finis obtinendi gratia Mentem admovent Materiae.
Ars vero alia liberalis, alia illiberalis recte dicitur, prout causa impellens ad eam tractandam libero ingenuoque homine digna vel minus digna est. CICERO l. c.

133.

Interna vero coniunctio MENTIS et Materiae, quantumvis intima, fortissimoque Naturae vinculo firmata, in externam tamen coniunctionem veriere ac mutari potest; quo quidem Natura hominis ceterorum animantium indoli naturali praestat. Namque MENTI, tamquam Potentiae sui conscientiae, non obstat intima, qua Materiae nectitur, coniunctio, quo minus conscientiam sui tueatur, qua, quo maioris claritatis ea capax est, eo facilius a Materia (a corpore suo) semet discernere atque avellere possit, ut quasi seiuneta per se agat (§. 2.). Quam facultatem exerit attendendo, comparando, iudicando, abstrahendo, meditando cet. Mens igitur, pro diverso claritatis gradu, cuius capax est, conscientia esse potest.

1) *ipsius coniunctionis suae*, tam internae, quam externae, cum Materia; quae conscientia proprie *Sensus* est.

2) Conscia esse potest Materiae externae, seu *rerum, quibuscum externe iungitur*; quae *Intuitio (Anschauung)* dicitur.

3) Conscia potest esse Materiae internae, seu *rerum, quibuscum interne connectitur*; quae *Imaginatio* est.

4) Conscia esse potest *nexus* illius, qui in rebus, tam externis, quam internis, inter Materiam et Potentiam earundem intercedit; quae *Intelligentia (intellectus)* vocatur.

5) Conscia potest esse etiam duntaxat legum ac principiorum, quibus ex indole sua determinatur ad agendum; quae conscientia *Ratio* dicitur.

Ita Mens a Materia quodammodo divulsa, in eam tamen agit, sed externa coniunctione. Id vero est, quod CICERO in *Orat.* cap. 55, 183. ed. Ern. et alibi saepe dicit: „*Naturae notatio et animadversio peperit „artem*“. QVINCTILIANVS vero II, 17. „*omnia, quae „ars consummaverit, a natura initia duxisse.*“ Hoc sensu distinguit ARISTOTELES *de arte poët.* VIII, 3. ed. Herman. „ο δε “Ομηρος, και τοῦτο (quid sit εἰς μῆδος) „ἔντεκτος ιδεῖν, ητοι διὰ τέχνην, η διὰ φύσιν.“ Eodem tendit, quod alias asseritur: „*Naturam et „ingenium quidem ad dicendum maximam ad- „ferre vim,*“ (Cic. *de Orat.* 1, 133.) „*Naturam omni „cura potentiore esse,*“ (JUVENAL. X. 303.): attamen id quoque fatendum esse, *industria ingenium ali,* (Cic. *pro Cael.* 45. c. 19,) *naturam cura tantum adiutam evalescere magis* (QVINCTL. II, 8.), neque facultatem bene eleganterque scribendi nobis insitam vel innatam esse, sed *institutione atque exercitatione comparari.*“ F. A. WOLF *Ciceronis, quae vulgo feruntur, Orat. quatuor.* Berol. 1801. 8. pag. XXXII.

134.

At vero coniunctio haec externa vicissim in internam coniunctionem transire, seu ars in naturam abire potest. Idque dupli via fieri solet:

a) Continua Mentis ad Materiam applicatione tali externa, qua iunctim semper agant et operentur, quod *exercere, condocefacere, τιθασσεύειν, abrichten, gyakorlani*, dicitur, vnde facilitas vtendi, *vsus ac consuetudo* existit, tamquam altera Natura.

b) Ea Mentis sui conscientiae informatione, qua sensim a Materia seiungitur, atque ita per se legibus suis convenienter tractata prius perficitur, quo dein ad Materiam semet ipsa sua sponte adiungere queat, cum eadem simul operatura. Quae

institutio, παιδεία, Unterricht, oktatas, vocatur, primum ad scientiam et cognitionem ducens, deinde autem in mores transiens, quibus animi vitaeque constitutio ac natura efficitur,

Vtrumque simul adhibere idem est atque *educare*; quod Natura humana tum aliunde (ab alia Potentia) impetrare, tum vero ipsa sibi largiri potest, adeo quo quis intensiore Mentis actuositate praeditus est, eo felicius semet ipsum educare queat.

Atque hoc transitu coniunctionis externae, seu artis, ad intimam coniunctionem fit, quod QVINCTILIANVS II, 4, 17. poscit, vt „puer omni cura et summo „labore aliquid probabile scribere assuescat, huius rei „naturam sibi faciat.“ Hoc modo
abeunt studia in mores, artesque magistrae,
Ingenium nobis molle Thalia facit. OVID. Her. ep. XV, 83. „Artes enim nudae, (in externa coniunctione „illa remanentes) nimia subtilitatis affectatione frangunt atque concidunt quidquid est generosius, et „omnem succum ingenii bibunt, et ossa detegunt, quae, „vt esse et adstringi nervis suis debent, sic corpore „operienda sunt.“ QVINCTIL. prooem. 24. — Ingeniose canit HERDER:

Lerne die Lehren der Schule; doch, gleich der Leucothea Binde,

Bist du am Ufer, so wirf sie in die Wellen zurück.

135.

Coniunctio haec intima Mentis et Materiae, seu ab origine insit („sive ita nascenti legem dixerit Sorores.“ OVID.), seu primum arte comparetur, notas habere debet sequentes:

1) *Spontaneitatem;* Mens nimirum ex se ipsa se determinat ad agendum in Materiam, ope Vis intermediae.

2) *Sensem*; Mentis nempe simplicitas cum intermedia Vi Materiam intime comprehendens, tantum huius cum Materia coniunctionis suae intimae conscientia esse, i. e. eandem *sensu* percipere potest (§. 133, 1.); quaecunque alia conscientia dirimeret hanc intimam coniunctionem, eandemque externam efficeret.

3) *Instinctum*; ex hoc enim sensu tantum necessario consequens impulsus adesse potest, quo Mens legibus suis (indoli suae) convenienter Materiam ad agendum dirigat. *ibidem* 136. Attamen intima consensione hac Mentis et Materiae monendum absolvitur ea, quae ad summam Pulcritudinem ducat, & coniunctionis perfectio. Etenim intima coniunctio, quae *inaequalis* est, & multum distat ab ea perfectione, ad quam *aequalis* coniunctio intima duntaxat pertingere potest.

Inaequalis nempe dicitur nobis coniunctio, in qua sive Mens, sive Materia, quomodounque praevalet; *aequalis* autem, cum et Mens et Materia pari dignitate ac valore consistit.

Inaequalis coniunctio igitur duplo modo censetur:

1) *Si p Materia praevalet*, in eum scilicet organismus physicus vel directionem suam, indoli Mentis adversam, eidem tamen impertit, vel Mentis intentionem attenuat et frangit, vel eiusdem conscientiam sui obscurat, ut functiones suas discernere nequeat ab iis, quas corporis vires exigunt.

Id vero contingit in brutis animantibus; in ruminibus, atque incultis, affectu vehementi abruptis,

ebriis, hebetibus, et mente captis hominibus; in iis p. qui corporis cura mentem obruant (QVINCTIL. I, 119, 15.) licet. (12) Si Mens praevalet, ubi nempe Mens clares suis conscientia, Materiam a se plene discernens, in eandem vix agit, neque per eandem legibus suis convenienter operatur. Qualem Mentis actionem, quae in cognitione sola contemplatione consistit, si recte mancam pronunciari. CICERO *de offic.* 1, 43, si nulla rerum actio consequatur. Id quod Viris ut plurimum doctissimis, qui doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque nunquam in solem atque pulverem producunt, exprimari solet. Conf. C. L. REINHOLD über die Betracht. d. Schönheiten eines episch. Gedichts. Jena. 1778. 8. 138.

Intima coniunctio inaequalis rigitur his notis hebet torpetque.

- a) Vbi Materia praevalet, nihil adest, nisi spontaneitas motus externi (§§. 74, 1. et 135, 1.) id est: *loco motivitas*;
- 2) tantum *sensus obscurus* (§§. 74, 2. et 135, 2.), et
- 3) *Instinctus coecus* (*obscurus*), qui uterque ad conscientiam sui claram eveli nequit, quamdiu haec inaequalitas adest, sicut in animalibus brutis, hominibusque bestiarum more agentibus videre licet. — Vid, Allg. deutsche Real-Encyclop. VIte Auflage. Leipzig. 1824. 8. Thier, Thierreich.

b) Vbi Mens nimium praevalet, semper comprehenditur

1) actuositas quidem spontanea, sed (ad res efficiendas inepta, natura rebus gerendis parum idonea, (§§. 75, 1, et 135, 1.) — *Unbehilflichkeit.* CICERO de Orat. II, 4, 17.

2) Conscientia clara quarumvis rerum, non tamen coniunctionis intimae Mētis cum Materia sua, ergo *defectus sensus*, unde *frigida* haec natura dicitur, sensu cārēns, (§§. 75, 2. et 135, 2.) quod in M. Pisone notat. CICERO Brut. 67, 326.

3) Languor ac lentitudo in agendis rebus, eo quod Mēns, quoquā indoli legibūsq̄e suis omnino convenienter intra se agit, ad Māteriam transferre non valet (§§. 75, 3. et 135, 3.).

Conf. CICERO Brut. l. c. 139.

Aequalis autem coniunctio intima, in qua Mens et Materia absoluta empirica pari dignitate ac valore consistunt, proprie *Organismum* efficit eminentiōrem, vt pote *psychicum*. Quemadmodum enim organismus physicus Vires inferiores suis Materiis nexus Vi superiore intime iungit (§. 117. sq.): ita hic Organismus psychicus corporis animalis vires partesque Mente sua, cēu Potēntia superiore sui conscientia, continet atque ita regit, vt, licet illae, per se ac pro se agant, tamen etiam simul totidem organa sint, ad Mētis directionem intensionemque sustinendam ac tuendam, Mens autem vicissim illas vires partesque fovere, easdemque integras et aptas conservare valeat. Cuius Organismi psychici notae quidem occurruunt sequentes:

14) Corporis vires partesque, naturali tantum spontaneo motu, sive haud conscientia, pollentes, a cedente Menti intima et aequali coniunctione actus sitatem sui conscientiam et intelligentem recipiunt, seu, vita corporea (§. 119, 1.) extollitur ad vitam eminentiorem psychicam.

2) Unitas organica corporea (§. 119, 2.) nunc assurgit ad unitatem altiorem psychicam, sui nempe conscientiam, seu ad conscientiam claram intimae coniunctionis inter Mentem et Materiam, quae sensus clarus est.

3) Character specialis organicus (§. 119, 3.) evenit in characterem organicum psychicum, seu instinctum rationale, i. e. Mens legibus suis convenienter libere dirigit Materiam intime sibi iunctam, proinde non sui conscientia a se divulsam, neque sibi repugnantem.

Conf. F. W. SCHELLING über das Verhältniss der bildenden Künste zu der Natur. München. 1807. 4. in qua eximia commentatione vtinam pulcrum absolutum solertius ubique a relativo distingueretur. Verissime asseritur p. 38.: „Alle andern Geschöpfe sind von „dem blossen Naturgeist (Vi) getrieben, und behaupten durch ihn ihre Individualität; im Menschen allein „als im Mittelpunct geht die Sonne auf, ohne welche „die Welt, wie die Natur, ohne die Sonne wäre.“

140. Organismus psychicus, (sicut physicus in suo genere §. 120.) cui Mens et Materiam aequaliter intimeque iunctae sufficiunt ad integratatem vitae psychicae conservandam, viget, vegetus est; qui autem et Menti intensione et Materiae vigore ita pariter abundant, ut alium similem organismum psychicum ex se

producere nitatur valeatque, *florere* dicendus est. Atque hic *flos*, manifestatio quippe libertatis ac valitudinis organismi psychici, est *Ingenium* eminentiori sensu, *das Genie*, cuius nitus naturalis, quo ad organismum psychicum sui similem producendum vrgetur, *Enthusiasmus*, ἐνθεσιασμός, ἐνθεσίασις, vocatur.

144.

Ingenium itaque tale omnino his emicat criteriis:

1) actuositatis suae spontaneitate, (§. 76, 1. et 135, 1.) ab omni alieno impulsu immuni, Materiam intime sibi aequaliterque iunctam, adeoque plene parentem, determinat, regitque, seu est *originale*.

2) *Sensu* tantum pollet, conscientia nimurum coniunctionis intimae inter Mentem et Materiam (§§. 76, 2. et 135, 2.); neque igitur Mens semet a Materia secernit, vt eiusdem suique separatim conscientia reddatur; vnde fit, vt Ingenium explicare nunquam possit, quomodo ad hanc deveniat coniunctionem, neque rationem reddere queat operationum suarum.

3) Ex hoc sensu promanans nitus Mentis in Materiam agendi, quatenus indoli legibusque suis conveniens est, etiam aliis Mentibus eadem indole legeque gaudentibus convenire debet; quidquid igitur ab Ingenio tali profertur, *exemplar* et *norma* ex ipsa Natura humana depromtum existimari debet.

Conf. I. KANT *Critik der Urtheilskraft*. Berlin. 1793. 8. S. 182. — JEAN PAUL's *Vorschule der Ästhetik*. Hamburg. 1804. 8. 1te Abth. §. 10. ff.

142.

Cum autem Potentia, quae Organismum psychicum animat regitque, sui conscientia sit, adeoque ad

superiorem pertineat ordinem (§. 101, 103.): ipsum hunc organismum quoque superioris esse ordinis patet (§. 121.), nempe *Organismum humanum*, naturam humanam, humanitatem (absolutam). Quare organismus animalis in homine, corporis fabricam continens, tamquam inferior, ab organismo eiusdem psychico, velut superiore, probe discernendus est. Potest enim aliquis organismi animalis perfectione, pulcritudine scilicet secundi gradus (§. 123.) pollere, quin organismo vere psychico, pulcritudinem superioris ordinis suppeditante, gaudeat; ac vicissim. Ita CICERO in *Philipp.* II. c. 2. discernit „*gratiam*, „*non virtutis specie, sed aetatis flore collectam*“; et LUCRETIUS III, 770. sqq.

„*Quove modo poterit pariter cum corpore quoque Confirmata cupitum aetatis tangere florem*

Vis animi?“ —

Organismi animalis perfecti, qui homini proprius est, normam exhibere complures conati sunt. Inter veteres nimirum POLYCLETUS Sicyonius (Argivus) tum artis opere, statua nempe Doryphori, quam canona (κάνων, regulam) artifices vocabant, (vid. PLINIUS hist. nat. XXXIV, 19, 2. ed. Bipont. et GALENUS περὶ τῶν καθ' Ἰπποκράτην καὶ Πλάτωνα. IV, 5.) tum libro de symmetria partium corporis humani scripto. — Conf. JUL. SILLIG Catal. artificum Graecor. et Roman. Dresdae et Lips. 1827. 8. v. Polycletus. Inter recentiores ALBERTUS DÜRER († 1528.) in opere teutonico: *Vier Bücher von menschlicher Proportion*. Nürnberg. 1428. fol., quod dein Jo. Camerarius in latin. vertit: „*de Symmetria partium in rectis formis humanorum corporum.*“ Norimberg. 1532. fol. — Jo. PAULUS LOMAZZO († 1598.) in opere suo: *Trattato dell' arte della Pittura, Scultura e Architectura*. Milano. 1585. 4. — et saepius excuso. GERARDUS AUDRAN († 1703.) edidit: *Les proportions du corps humain*. Paris. 1682.

fol. — Egregie in hanc rem commentatus est Jo. WINKELMANN, *Geschichte der Kunst des Alterthums*. (Dresden. 1764. 4.) 1. Th. S. 172. fol. — et alii. Novissimum in hoc genere conamen occurrit in opere, cui titulus: „*Musée de sculpture antique et moderne*“, par M. le Comte de CARAC. Paris 1826. 1 Livr. pag. 194—236. (Proportions de 42 des plus belles statues antiques.)

Ingeniosa, multisque anatomicis ac physiologicis disquisitionibus nixa, est methodus, quam in discrimina organismo animali humani structura propria, praesertim in definienda capitis conformatio, adhibuit cel. PETRUS CAMPER in opere: „*Über den natürlichen Unterschied der Gesichtszüge in Menschen verschied. Gegenden*“, &c. herausg. v. A. CAMPER; übers. v. S. TH. SÖMMERING. Berlin. 1792. 4. quam utinam alii perficere adlaborassent. Conf. HERDER *Ideen zur Gesch. d. Phil. d. Menschh.* (Leipzig. 1821. 8.) I, 125. fol.

143.

Organismus hic psychicus seu humanus iam in singulis quibusvis partibus corporis humani apparere potest; iam solus animi status decens ac probabilis quomodounque expressus, iam vultus orisque habitus animum declarans, motus et actus quilibet vere humanus, organismum psychicum omnino refert. Plures denique ingenuae actiones humanae, Mentis eiusdem imperio ad unum complexum intime iunctae, pariter superiorem talem organismum efficiunt, qui proinde infinitas eiusmodi gradationes admittit, unde diversa pulcritudinis momenta nascuntur.

Id vero etiam DIDEROT (*Essai sur la peinture*) quadamtenus innuere volens, ad argutias, vt solebat, delapsus est, quas egregie redarguit commentator eius in *Propylaeen* (Tübingen. 1799. 8.) I. B. 2. St. S. 6. f.f.

144.

Quamquam *intima* coniunctio Mentis et Materiae
vnicuique homini propria est, non semper tamen in
cunctis actionibus suis ea gaudet; multo minus vero
aequali coniunctione hac gloriari potest, nisi
quem *Melpomene* semel
nascentem placido lumine viderit, vel
qualem Superi benigno aspexere die.

Defectum hunc, quo rude aut infacetum *ingenium*
laborat, *externa coniunctio aequalis*, quae ad intimam
ducat, compensare, atque hoc modo *culturam*
vere *humanam* adferre potest. Recte scilicet ait
Poëta Venusinus;

Doctrina vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Carm. IV, 4, 33. sq.

— *Ego nec studium sine divite vena,*
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Allera poscit opem res, et coniurat amice.

Epist. II, 3, 409. sq.

Ea *Cultura humana* igitur haudquaquam *vera* dice-
tur, quae tantum in *externa quadam „aequabilitate*
universae vitae, tum singularum actionum“, consistet,
quam CICERO *de off. I, 51.* ad decorum requirit; *in-
terna* quoque accedit aequabilitas oportet, iuxta illud
praeclare dictum Socratis, quod aequa CICERO *off. II,*
12. laudat, vt quisque, *qualis haberi vellet, talis esset.*
Conf. GARVE's *Anmerk.* ad priorem loc. — FR. EHREN-
BERG *die Veredlung des Menschen.* (*Leipzig. 1803. 8.*)
— II. B. S. 416. f.f. — Studiis vero artibusque libe-
ralibus recte tractatis, proin *recta educatione*, non
modo singulos homines, verum integros etiam populos
saeculaque a fera et agresti vita ad humanum cul-
tum civilemque deduci posse, nemo amplius est, qui
inficietur. Conf. praecipue I. G. HERDER's *Briefe zur*

*Beförderung der Humanität. 3te Sammlung. 27. f.f.
Briefe. — JENISCH über die Meisterwerke der griech.
Poësie (Berlin 1803. 8.) I. B. §. X. S. 87. f. —
C. SEIDEL Chariomos (Magdeburg. 1825. 8.) S. 76.
Scriptores, qui hoc argumentum vberius exposuerunt,
vid. in W. T. KRUG Versuch einer system. Enzyklopä-
die der schönen Künste. Leipzig. 1802. 8. S. 30. f. —
I. S. ERSCH, Handbuch d. deutsch. Literatur. Leipzig.
1822. 8. 1ten B. Philologie — Nro 325 — 330. —
Ios. HILLEBRAND, Lehrbuch der Literar.-Aesthetik.
Mainz. 1827. 8. S. 46.*

145.

Haec denique Materiae Potentiaeque absolutae empiricae coniunctio intima et aequalis, quae in Organismo psychico, seu humano, adest, *supremum Pulcritudinis absolutae empiricae gradum* tenet, ad cuius mensuram modumque ceteros ita exigimus, vt quo quid proprius ad hunc accedit, eo maiorem Pulcritudinis perfectionem consequatur.

Qua in re quidem Pulcritudinis censores ac iudices sagacissimos quosque consentire videmus. Quidni sacrae paginae etiam hominem ad imaginem Dei creatum, Entis igitur perfectissimi simulacrum esse, proununtiant? quod in *גַּן עֶדְן*, (*ψυχὴ ζῶσα*,) Gen. 2, 7. reponitur. — Notum est PROTAGORAE effatum: *πάντων χρημάτων μέτρον εἶναι ἄνθρωπον.* — CICERO de nat. deor. 1, c. 52, 90. ait: „nostra (humana) forma, divina, dicenda est.“ — I. G. SULZER Allg. Theor. d. schön. Künste, v. Schönheit dicit: „dass die menschliche Gestalt der schönste aller sichtbaren Gegenstände sey, darf nicht erwiesen werden.“ — G. E. LESSING vero in: Laocoön. (Berlin 1788. 8.) S. 503. aperte statuit: „Die höchste körperliche Schönheit existirt nur in dem Menschen, und auch nur in diesem vermöge des Ideals. Dieses Ideal findet bey den Thieren schon weniger, in der vegetabilischen und leblosen Natur aber gar nicht statt.“ — Quod I. WINKELMANN in Geschichte der

Kunst des Alterth. (Dresden 1764. 4.) S. 149. Platonem secutus asserit: „die höchste Schönheit ist in Gott, e notionibus perfectionis et pulcritudinis inter se permittatis, aut potius confusis, profluxit. Idem enim vbiique alias humanam formam ceu prototypum pulcritudinis considerat, quod etiam in diss. „Über die Betrachtung der Werke der Kunst, in Literar. Chronik, (Bern. 1786. 8.) II, 176. expresse fatetur: „Der höchste Vorwurf der Kunst ist der Mensch.“ — R. MENGS Gedanken über die Schönheit in der Malerey. Zürich 1762. und 71. 8. ita loquitur: „Ich rede von dem Menschen als demjenigen Theile der ganzen Natur, worin die Schönheit am meisten erscheint.“ — GÖTHE in opere: *Winkelmann und sein Jahrhundert*, (Tübingen. 1805. 8.) S. 400. egregie iudicat: „Das letzte Produkt der sich immer steigernden Natur ist der schöne Mensch.“ — F. W. I. SCHELLING über das Verhältniss d. bild. Künste zu der Natur, pag. 24.: „Die Kunst greift am liebsten „unmittelbar nach dem Höchsten und Entfaltetsten, der menschlichen Gestalt.“ — Eximia est observatio, quae in prolegomenis ad versionem gallicam operis physiognomici CASPARIS LAVATER (*L'art de connaître les hommes par la physiognomie. Nouvelle édition, par M. MOREAU. Paris 1806. 8.*) pag. 147. memoratur: „Que d'avantages réunis dans la forme propre à l'homme; quel accord paraît alors entre le physique et le moral; la beauté de l'instrument et ses usages, la physiognomie et les facultés. Jetez un coup d'œil rapide sur une collection des squelettes des différentes espèces des animaux, et vous verrez aisément les motifs de cette priorité du rang que l'homme conserve jusque dans l'empire de la mort“

Ad hunc modulum referri omnes naturae formas ingeniose innuit JEAN PAUL *Vorschule der Ästhetik* (Hamburg 1804. 8.) I, 15.: „Die Natur ist für den „Menschen in ewiger Menschwerdung begriffen, bis so „gar auf ihre Gestalt; die Sonne hat für ihn ein Voll „gesicht, der halbe Mond ein Halbgesicht, die Sterne „doch Augen, alles lebt den Lebendigen. Allein das „ist — die Frage, welche Seele die Natur be „seele, ob ein Sklavencapitain, oder ein Homer.“

Superiorem organismum psychicum continet insignis cuiusdam hominis actio, plurium aliorum actiones organice complectens (argumentum dramatis); vel eventus grandis, forti animo toleratus, multorum hominum sorti, quin populorum quoque fatis, organice vinctus (argumentum epopoeae). „*Die Weltgeschichte ist im höhern Sinn eine Epopöe,*“ vere ait JEAN PAUL. l. c. I., 11.

146.

Si, quae hactenus exposita sunt, recte se habent, *Puleritudinis absolutae empiricae gradus* hos omnino distinguere oportebit:

- 1) puleritudinem elementarem, seu simplicem (§. 116.);
 - 2) puleritudinem organicam physicam (§. 125.);
 - 3) puleritudinem organicam psychicam (§. 144.);
- in quibus omnibus tamen Materiae ac Potentiae conjunctionem intimam et aequalem inesse, (§. 7.) ambigi nequit.

Atque his gradibus differunt in rerum natura *toni simplices* corporum intentorum (elasticorum), *oscinum voces*, et *hominis cantus* ex imo pectore manans; hoc modulo minoris aestimatur puleritudo *simplicis coloris* cuiuscunque, quam puleritudo *floris*, ac denique ea, quam verus faciei iuvenilis humanae color tuetur. Ideo puleritudo *figurarum* elementis corporum ipsisque crystallis propriarum haudquaquam assequitur eam, quae in *plantarum arborumque figuris* viget, multo minus vero eam, quae *animantium*, praecipue *hominis*, speciem decorat. Idem vero tum de sensibus, tum de imaginibus animo conceptis censendum esse, alio loco memorabimus.

147.

Pulcrum denique absolutum empiricum, in quoecunque gradu consistat, e diversa nascendi con-

ditione in duplice abit speciem (§. 80.). Coniunctio videlicet intima et aequalis Materiae ac Potentiae

a) vel ab origine sua aequabilis est, sua sponte semper concordans, nullo conflictu intercedente turbata, placido motu rectoque moderamine tută;

b) vel e Potentiae ac Materiae directione prius adversa, proin dissensione quadam luctaque antegressa, difficultatibus, quae pari libramento velut obstabant, exaequatis, exsurgit.

Quae CICERO *de off.* 1, 51. pulcritudinis genera duo, quorum in altero *venustas* sit, in altero *dignitas*, sola compellatione distinguit, (quorum alterum Graeci Veneris ἀφροδίτης, alterum quiescentis Alcidae symbolis mythicis eleganter adumbrarunt), eadem haec sunt, quae hic, assignata diversitatis ratione, adferuntur. At vero philosophus romanus in hac nomenclatione solam humanae naturae pulcritudinem, eamque huius efficaciam, qua in aliorum animos agit, spectasse videtur, (quamquam neque in eo sibi constat) conf. *de Invent.* 11. 16.), parum sollicitus, quid in his generibus pulcritudinis absolutum, quid relativum sit, quibusve gradibus differre queant. Quod si quis in censem sumat, species pulcritudinis prius designatas omnino subtilius dirimendas existimabit, quam id vulgo fieri solet, neque in cel. SCHILLERI (*über Anmuth und Würde*) quantumvis ingeniosa explanatione acquiescat. Ac, si quid tentare licet, primae speciei pulcritudo, (*a*) tamquam absoluta empirica, fortasse *Venustas* (*Anmuth*) omnino appellanda, iis tamen gradibus distinguenda erit, quibus *Amoenitas* (*Lieblichkeit*), *Mollitudo* (*Weichkeit*), et *gratia* χάρις (*Grazie*) consistunt, de qua postrema tantum valet, quod TIBULLUS IV, 2, 7. sq. in Sulpicia miratur,

Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
Componit furtim, subsequiturque decor.

Alterius speciei pulcritudo (*b*) autem forsan *Valitudo* (*Validum, das Kräftige*) nominanda, similiter iis gra-

dibus distare censenda est, quibus *Soliditas* (*Gediegenheit*), in rebus anorganicis, *Robur*, *vigor*, (*Stärke*) in organismis physicis, *Dignitas* (*Würde*) in organismis psychicis, continentur.

148.

In utroque hoc genere pulcritudinis tamen peculiaris effectio (§. 56.) consequitur, si Potentia vna et superior Materiae iungenda, exigua duntaxat contentione ac facili certoque successu, seu Materiae partes oppido multas (in anorganicis), seu Vires inferiores complures validas suis materiis iunctas (in organismis), aequaliter et intime vniat regatque. Inde nempe *Sublime absolutum empiricum* (a Sublimi relativo seu aesthetico probe distinguendum) existit, quod in priore pulcritudinis genere *Sublime venustum* (*das anmuthige Erhabene*), in altero autem *Sublime validum* (*das kräftigere Erhabene*) dici potest.

Exempla *sublimis venusti* (in anorganicis) praebent aequora immensa, pyramides memphiticae, turres excelsae, vbi nempe *vna* Potentia multas omnino Materiae partes nulla fere contentione adhibita, imperturbato facilique successu aequaliter iungere videtur. Atque hinc intelligitur, cur e. c. mare tranquillum longe magis sublime appareat, quam immensa licet planities agrorum fertilium, in quibus videlicet non *vna* potentia multitudinem partium comprehensam ostendit, sed multae vires iunctim agentes conspiciuntur; quo pacto problemata similia, quae JEAN PAUL *Vorschule der Aesthetik* §. 27, congerit, felicius forte resolvi possunt. — *Sublime venustum* (in organismo phisico) locus VIRGILII *Georg. II*, 80. sq. exhibit:

„nec longum tempus, et ingens
Exiit ad coelum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes et non sua poma.“

In organismo autem psychico *sublime venustum* omnino est, quod *Genes.* 1, 5., et apud *LONGINUM* quoque *περὶ ὑψος* IX, 9., memoratur: „*Deus dixit (voluit), fiat lux, et facta est lux.* Et *Iliad.* a, 528. sqq.

τεῦσε πονίον.

μέγαν δὲ ξέλιξεν ὀλυμπον,

quod idem *VIRGIL. Aen.* IX, 106. imitatur:

„Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.“

Huc referre licet, quae *SARBIEVIUS* canit *Lyr. IV*, 51, 13. sqq.:

„Pulerum est quieta mente volatili
Instare vero, nec trepido gradu

Vrgere naturam, nec inter

Ambiguis fluitare caussas:

Sed mente fixa ducere liquidos

Rerum colores, et capitis sacra

Ab arce prospectare verum, et

Fixa suis sua rebus ora.“

Sublimis validi exempla sunt heroes magni, qui satis tristibus acti, rebus adversis collectantes, animosi atque fortes apparent, veluti apud *HORAT. od. III*, 1. sqq. iustus atque tenax propositi vir; apud *SENECAM*, vir bonus cum mala fortuna compositus; in *RAMLERI* carmine: „*So steht ein Berg Gottes*“

149.

Potentia igitur, quae Sublime proferat, ita magna sit oportet, ut minimum supra eam naturae vim, qua humanum corpus omnino pollet, excellat. A quo limite in infinitum progressa Potentia, quoties eo, quem supra (§. 148.) exposuimus, modo semet in Materia exerit, continuo efficit Sublime, seu *venustum*, seu *validum*; interdum vero ita evalescit, ut Materiae intime sibi iunctae praevalens, aequalitatem ad pulcritudinem necessariam excedat, quo deinceps *informe* (*gestaltlos*) evadit.

Sublime igitur haudquaquam semper immensam continet vim, id quod obelisci romani, excelsae columnae, alta palatia commonstrant. Quia tamen potissimum infinita eiusmodi Potentia est, quae Sublime generat, plerique infinitum duntaxat finito applicatum in conceptu Sublimis quaerunt. Vid. I. KANT *Critik der Urtheilskraft* (Berlin. 1793. 8.) p. 93. — W. T. KRUG *Aesthetik* §. 27. — JEAN PAUL *Vorschule der Aesthetik*. 2. edit. §. 27. — F. A. NÜSSLEIN *Lehrbuch der Kunstmissenschaft*. (Landshut. 1819. 8.) p. 74. et alii.

Sublimis informis exempla sunt horrentia cautibus inga, et „quae stabat acuta silex, praecisis vndique saxis“, *Aen. VIII*, 233.; dein Polyphemus et Cyclopes, *Aen. III*, 665. sqq.; tempestas atrox in *Odyss.* ε, 291—296. — *Aen. I*, 80. sq. — et in poëmate vngarico DAVIDIS Szabó (*költeményes munkái*. Komáromb. 1802. 8.) p. 117.

Vajmi rettentő ropogással húllog
A' setét felleg' kebelét hasító
Meny' ütő villám iszapos Tiszába
A' komor éghől!

Mint pozsog, mint nő vize, 's ostorozza
Partjait széltől dagadott habokkal;
Nints dagályának zabolája, tengert
Tüntet elömbe!

Qui tantum e conflictu necessitatis et libertatis, quae Potentiae Materiaeque leges sunt (§§. 29. 44.), Sublime quodvis profluere autumant, vix omnium varietatum, quibus illud comparet, pleniores explicatus obtinent. Vid. G. HERMANNI *comm. de tragica et epica Poësi*, ad *Aristotelis de arte poët.* edit. Lips. 1802. 8.

150.

Quotiescumque dein Potentia superior, sui conscientia, intenta sane, ac facili certoque successu freta, seu clam ipsa (non advertente ipsa), seu aperte, per inferiorem quandam Potentiam affligitur atque ita vexatur, ut non penitus quidem concidat

ruatve, sed tamen vel ab aequalitate sua dimoveatur, vel effectum propositum non plene sortiatur, *Ridiculum absolutum empiricum* prodit; vnde clare perspicitur, quam pronus a Sublimi transitus ad Ridiculum sit.

Ridiculum absolutum certe minus recte dici, nemo inficiabitur, cum haec denominatio magis effectum, quem in Subiecto provocat, designet, ergo potius relativum quid exprimat. Magis apposite fortassis *innocue absonum* vel *discors* vocabitur, quod ARISTOTELES quoque in *Poëtica* c. 5. per ἀμάρτημα τι ἀνόδυνον καὶ οὐ φθαρτικὸν intellexisse videtur, cui definitioni eius tamen, ut adaequata sit, ceterae notae supra expositae desunt. — Absonum autem hoc, quatenus ab intima et aequali coniunctione Potentiae ac Materiae sane recedit, proprie tamen deformis est, quamquam leniter et innoxie. Quamobrem recte observat CICERO *de orat.* II, 58, 236. „Locus autem et regio quasi ridiculi turpitudine et deformitate quadam continetur; haec enim ridentur vel sola, vel maxime, quae notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter.“ — Longe alia vero est ratio Ridiculi relativi, seu aesthetici, (de quo infra); cuius differentiam Scriptores acutissimi quique recte sentientes, haud clare satis tamen explicarunt. Vid. JEAN PAUL. *Vorsch. d. Aesth.* §. 28. — St. Schütze *Versuch einer Theorie des Komischen.* Leipzig. 1817. 8.

151.

Quo magis autem patet, pulcritudinem absolutam exacta Potentiae ac Materiae intime iunctarum aequatione contineri, eo facilius intelligitur etiam, cur et omnino rara sit pulcritudo absoluta, quae summo consistat culmine, et, si qua sit, cur brevis admodum aevi mox evanescat, et quam multae sint partes graduumque differentiae, quibus a supremo pulcro recedere soleant res in experientia positae.

„Quotus enim quisque formosus est?“ quaerit CICERO *de nat. deor. I*, 28, 79. „Athenis cum essem, e gregibus epheborum vix singuli reperiebantur.“ — Nota sunt OVIDII: „forma dei munus; forma quata quaeque superbit? — Forma bonum fragile est.“ cest. Tritum est apophthegma: *καλλος η χρόνος ανάλωσεν, η ρόσος εμάρτανεν*. — Quam vere observat GÖTHE (*Winkelmann und sein Jahrhundert* p. 400.): „Das letzte Product der sich immer steigernden Natur, ist der schöne Mensch. Zwar kann sie ihn nur selten hervorbringen, weil ihren Ideen gar viele Bedingungen widerstreben, und selbst ihrer Allmacht ist es unmöglich, lange im Vollkommenen zu verweilen, und dem hervorgebrachten Schönen eine Dauer zu geben. Denn genau genommen kann man sagen, es sey nur ein Augenblick, in welchem der schöne Mensch schön sey.“ — Et acutissime cernit J. W. SCHELLING (*über das Verhältniss d. bild. Künste zur Natur* p. 24.): „Ist Schönheit „gleich überall verbreitet, so giebt es doch verschiedene Grade der Erscheinung und Entfaltung des Webs und damit der Schönheit.“ —

Alia sane est pulcritudo immarcescibilis *καλλοσύνη αμάργατος*; aliae sunt illae Charites, de quibus HERDER ex epigrammate graeco praedicat:

„Graziens altern nie; nie welkt die Rose der Annuth,
Die die Unsterblichen selbst dir in die Seele gepflanzt.
Haec scilicet ipsa virtus *καλοχαραθία* est, (organismus psychicus perfectus (§. 155.), qua sane, vt CICERO *ad div. IX.*, 14. ait, nil formosius, nihil pulcrius, nihil amabilius esse potest; quae, vt idem in *Philipp. IV*, 15. fatetur, „cum omnia alia incerta sint, caduca, mobilia, virtus yna est altissimis defixa radicibus, quae nunquam villa vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco.“ —

A pulcritudine absoluta empirica vero confessim atque eatenus receditur, simulac et quatenus tam ab intima, quam ab aequali coniunctione Materiae et Potentiae digressio fit. Quamvis igitur gradus infiniti,

quibus a summo vertice ad imas radices dehiscere solet, dinumerari vix queant, cunctae vicissitudines eius tamen ad haec momenta praecipua revocari poterunt. Deficit nimis Pulcritudo absoluta empirica (§. 82.)

1) Si alterutrum elementum eiusdem, seu Materia, seu Potentia, desit. Sola namque Materia empirica (§. 94.), veluti moles rudis, aqua stagnans, fragmen lapidis, truncus, stipes, cadaver, flos marcidus, arbor exsiccata, *cet.* inertiam duntaxat, uniformitatem, languorem, sordes, tenebras, mortemque suggerunt, quae a pulcritudine longe absunt. Sola Potentia empirica vero, (§. 105.) *v. e.* vires corporibus exutae,

,,Ventus“, vt LVCRETIVS ait „,nisi robore densae Occurrant silvae, spatio diffusus inani“, et quaecunque porro sensus nostros excedunt, proprie nihil pulcri continent.

2) Si utraque adsit quidem et Materia, et Potentia, verum neque intime, neque aequaliter mutuo iunctae; vbi e. g. congesta sunt eodem non bene iunctarum discordia semina rerum, vel vbi dissidia corporis animaeque observantur. Quo nil nisi lacunae, hiatus, disceptrae laceraeque formae, ac horrendum chaos rebus inducit, quae omnino a pulcritudine abhorrent.

3) Si tam Materia, quam Potentia adsit, et quidem aequaliter, non tamen intime mutuo iunctae, sicut in operibus arte mechanica exactis politisque, in rebus fucatis, male simulatis, tumidis, affectata elegantia frigidis, quibus naturae mobilitas colorque, vita et internus vigor, atque lepor. ingenuus deest.

4) Si Materiae ac Potentiae intima coniunctio mutua quidem adsit, non tamen aequalis. Tum nempe,

a) vel Materia plus minusve praegravat, rigetque; quare obesitas iners, torpedo gravis, morbidum corpus, aegra et exhausta senectus nihil puleri referunt; inde bestiarum quarundam deformitas, e. c. elephanti, hippopotami, cameli, orcae (Plin. IX, 6.), bradypodis, ranae, ac praesertim simiae, ob materiam in organismo fere psychico, qui nempe humano simillimus est, praedominantem; quamobrem ENNIUS recte innuit (cf. CICERO de nat. deor. 1, 35, 97.): „*Simia quam similis turpissima bestia nobis*“, et HERACLITUS: *τῶν πιθήκων εὐμορφότατος δύσμορφος ἐστι.*

b) Vel Potentia praevalet, puleritudinemque adeo tollit; velut in validi venti collecta procella, in splendore nimio, in exuberante rerum colorumque varietate, in arguta formarum subtilitate.

153.

Quidquid hoc modo absolute empirice Pulcrum dici potest, tamquam *absolute empirice Verum* quoque agnoscitur, nam in se reipsa *est*, non tantum impressione sua in Subiectum aliquod percipiens existere videtur. Quod tamen haudquaquam eo converti potest, ut quidquid absolute empirice Verum sit, propterea iam Pulcrum quoque dici queat. Ecquis enim non videt, in tanta, quas ipsa natura vere suppeditat, rerum copia multas admodum esse, quae, tametsi intima Potentiae Materiaeque coniunctione non carent, aequali tamen nexu destitutae merito

deformes iudicentur. Omne absolutum empiricum Pulcrum igitur etiam absolute Verum (realiter existens) esse debet; non tamen omne absolute Verum ideo etiam absolute Pulcrum simul efficitur.

154.

Aequè male confunditur Pulcrum absolutum empiricum cum *Bono absoluto empirico*. Quia scilicet Bonum hoc semper tale reipsa est, quale indoli suae destinatae convenienter esse debet (natura absolutum §. 84., perfectum in suo genere), in Pulcro absoluto empirico autem recte id exigimus, ut intima (naturali) et aequali (omnium determinationum ad indolem suam pertinentium pari) coniunctione Materiae ac Potentiae gaudeat: facile perspicitur, omne Pulcrum absolutum sane Bonum quoque absolutum esse deberet. At vero inde nequaquam sequitur, omne Bonum absolutum vel ideo etiam Pulcrum absolutum esse; Bonum enim haud raro Mente (tamquam Potentia clare ac perfecte sui conscientia) Materiam non aequante, sed eidem praevalente eamque superante, semet exercit, adeoque aequali Materiae ac Potentiae coniunctione ad pulcritudinem necessaria caret.

Recte negat ac pernegat ipse Sophista apud PLATONEM in *Hippia maiore*, (Opp. XI, 40.) quod Socrates querit: ἐθέλοιμεν ἄγ λέγειν ὡς τὸ καλὸν οὐκ ἀγαθὸν, οὐδὲ τὸ ἀγαθὸν καλὸν; — Res elementaris (elementum physicum, e. g. metallum, aurum) ut absolute pulchra merito dicatur, certe bona quoque sit, oportet, nempe talis, qualis e destinata indole sua esse debet. Organismus physicus (v. c. planta, flos) haudquaquam absolute pulchra iudicatur, nisi idem absolute bonus, i. e. talis sit, qualis e natura sua destinata esse debet. Cf. FR. BOUTERWECK *Ideen zur Metaphysik des Schönen*. Leip-

zig. 1807. 8. p. 49. sq. — Organismus psychicus (humana natura) pulcritudinem absolutam non continet, nisi et Corpore et Mente talis sit, qualis e naturae suae destinatione esse debet, *καλονάγαθὸς*. — Cf. I. KANT *Critik der Urtheilskraft*. p. 254. sq. — HERDER *Kalligone III*, 4.

155.

Gratum denique, seu *iucundum*, quod nunquam alias, nisi ob relationem suam ad Subiectum aliquod percipiens tale esse potest, adeoque relativum duntaxat est, cum Pulcro absoluto comparari nequit. Quapropter etiam KANT *Critik d. Urthkr.* p. 18. gratum non alias, nisi cum pulcro relativò confert. Nihilominus tamen cum Pulcro absoluto quoque omnium frequentissime confunditur, adeo, ut differentia vtriusque neque HERDERO *Kalligone I*, 1—5. satis explorata fuerit.

PHILOCALIAE

PARS ALTERA,

AESTHETICA,

SE V

DOCTRINA PVLCRI RELATIVI.

156.

Quamquam id, quod absolute atque in se Pulcrum est, hoc idem ac tale permanet, etsi nemo illud advertat vel excipiat; nihil tamen obstat, quin idem quoque ad Subiectum aliquod idoneum referendo, huic ita praesens admoveatur obiiciaturve, ut, quod per se Pulcrum est, etiam ab hoc Subiecto ut Pulcrum percipiatur.

Percipere nempe rem aliquam dicitur Subiectum, quod conscientium fit existentiae rei illius. Ut igitur Pulcrum percipiatur, Obiectum fiat, oportet, i. e. ad eiusmodi ens referatur, quod existentiae illius, tamquam Pulcri, conscientium fieri potest; seu exhiberi (obiici) debet Subiecto, a quo tamquam Pulcrum percipiatur.

157.

In *Pulcro percipiendo* itaque mutuus Obiecti ad Subiectum respectus in censem sumitur; proinde Pulcrum non tantum in se atque absolute tale, sed etiam ut *relativum* spectatur.

Potest vero Pulcrum etiam tale cogitari, quod in se atque absolute quidem non est Pulcrum, sed relate ad Subiectum idoneum duntaxat, impressione sua in hoc facta, ab hoc tamquam Pulcrum percipitur; quod igitur *mere relativum* Pulcrum dici debet.

Pulcrum relativum, quia semper Subiectum respicit, communiter *subiectivum* vocari solet; qua compellatione tamen, quia ambigua est, cautius uti oportet. Cum enim subiectivum proprie id significet, quod Subiecto inest, Subiecto autem pulcritudo absoluta quoque inesse queat, hanc pariter subiectivam pulcritudinem, minime vero tantum relativam, dicere conveniet. (Cf. §. 5.)

Pari modo quidquid reipsa est (*Reale*), recte distingui potest a) in *Reale absolutum*. (quod alias *Essentia* dicitur, οὐσία, vel potius *Ens*, ὄν), i. e. in se reipsa existens, etsi a nemine percipiatur; b) in *Reale relativum* (*Verum*, ἀληθεῖς), quatenus ad Subiectum idoneum refertur et ab hoc percipitur. Atque hoc sensu PLATO in *Timaeo* (Vid. Opp. X, p. 504. ed. Bipont.) statuit: ὅτι πρὸς γένεσιν οὐσία, τοῦτο πρὸς πλεῖστην ἀληθείαν, quod CICERO de *Universo*, 3. haud satis subtiliter assumens exponit: „quantum ad id, quod ortum est, aeternitas valet, tantum ad fidem veritas.“ — Idem denique valet de *Bono*, non tamen de *Grato*, seu *Iucundo*, quippe quod, nisi relativum, in se nihil est.

158.

Subiectum Pulcro percipiendo idoneum non alia facultate, nisi *Sensu*, αἰσθήσει, illud plene apprehendere potest (conf. §. 168.). Quare Subiectum, quatenus pulcri percipiendi capax est, αἰσθητικὸν, *aestheticum*, sensu praeditum, Obiectum vero pulcrum relativum, quatenus ad Subiectum percipiens refertur, αἰσθητὸν (vel etiam αἰσθητικὸν) *aestheticum*, quod

sensu percipitur, recte dici possunt; Doctrina denique Pulcri relativi apposite *Aesthetica scientia*, *αἰσθητικὴ ἐπιεική*, appellatur.

Aesthetica scientia proprie dicta est, quae vniuersitate de cognitione per sensum, *αἰσθησιν*, agit, quo significatu eandem recentiores Philosophi critici sumere solent. Ut sensum pulcri, quo Subiectum pulcri percipiendi capax aliquod Obiectum pulcrum percipiat, explicare queamus, indagare oportet, quid sensus omnino sit, quaenam diversae modificationes eius ac species sint, inter quas sensus pulcri dein praecipue spectabitur. *Aesthetica* igitur proprie sumta, toto suo ambitu hic adumbranda est, quantum scilicet synoptica totius Philocaliae tractatio, quam nobis proposuimus, id admittit.

159.

Scientiae subtilitas, cuius est, notiones complexas et implicitas, quales in hoc genere plurimae occurunt, explicare, confusasque ad claritatem educere, id requirit, vt

- a) prius inquiramus in *Pulcrum aestheticum purum*, quatenus nimirum ex ipso conceptu suo, e sola contemplatione mutui respectus inter Subiectum et Obiectum pulcrum intercedentis, intelligitur, quod fit in *Aesthetica pura*; —
- b) deinde vero indagemus in *Pulcrum relativum applicatum*, vel *empiricum*, quod ipso rerum vsu et experientia percipere ac sensibus usurpare solemus; de quo *Aesthetica applicata* tractat.

Vtraque tamen haec *Aestheticae pars* est generalis, quia vniuersitate tantum de Pulcro relativo agit. *Aesthetica vero specialis*, formarum pulcrarum diversas classes, quae a Subiecto aestheticō percipi possunt et solent, in specie complectens, multiplex omnino est atque amplissimi ambitus, qui harum institutionum limites excedit (cf. §. 12.).

SECTIO PRIMA.

AESTHETICA PVRA,

SE V

METAPHYICA PVLCRI RELATIVI.

160.

Pulerum relativum purum, quod eatenus consideratur, quatenus ad Subiectum puleri percipiendi capax referri, et ab hoc percipi potest, ita recte examinabimus, si

1) ea, quae ad se vicissim referuntur, quasi elementa huius relationis mutuae, vtpote Subiectum aestheticum et Obiectum aestheticum singulatim prius, ex ipsis eorundem notionibus, ad analysin revoemus, quod praestabit *Aesthetica pura analytica*, seu *elementaris*; dein vero

2) vtriusque relationem ad se invicem, seu Synthesin mutuam Obiecti et Subiecti aesthetici, recte constituendam inde deducamus, quod fiet in *Aesthetica pura synthetica*, seu *methodica*.

Quam nos hic etiam ingressi sumus viam ad varias Pulcritudinis species atque ἐπιφάνειας proprius investigandas et diligentius exquireendas, adhuc invia quidem appareat, at, vbi tantum aliquatenus munita fuerit, post-hac forte magis tuta rectaque ad optatam ducere mettam videbitur. De aliorum conatibus conferatur K. R. HEIDENREICH *System der Aesthetik*. Leipzig. 1790. 8. I. Band. S. 589. f. — FR. BOUTERWECK *Aesthetik*. Leipzig. 1806. 8. I. B. Vorr. IV. f. — IDEM, *Ideen zur*

Metaphysik des Schönen. Leipzig. 1807. 8. Einl. S. 1. f.
 — W. TR. KRUG *Geschmackslehre oder Aesthetik.* Königsberg. 1810. 8. §. 1. Anm. 1. — I. H. DAMBECK *Vorlesungen über Aesthetik.* Herausg. v. Hanslik. Prag. 1822. 8. 1. Th. S. 6. f.f. — WOLF. MENZEL *die deutsche Literatur.* Stuttgard. 1828. 8. 2ter Th. S. 46. f.f.
 — et alii.

CAPUT PRIMUM.

AESTHETICA PVRA ANALYTICA,

S E V

ELEMENTARIS.

161.

Quae in Pulcro relativo ad se invicem referuntur, sunt Obiectum, quod Pulcrum aliquod exhibere, et Subiectum, quod Pulcrum hoc percipere debet. Quid igitur illud sit, quo Subiectum ad Pulcrum percipiendum capax reddatur, et quod in Obiecto deinde percipiat, primum ita dispiciendum est, ut semotis conditionibus empiricis, ea tantum spectemus, quae ex puro horum elementorum conceptu iam intelligi queant.

A.) *Subiectum aestheticum purum.*

162.

Subiectum (sensu metaphysico, non logico) dicitur id, quod sui conscientium est ita, ut simul etiam existentiae aliis vel pariter, vel magis, conscientium

sit. Subiectum itaque semper est Potentia sui conscientia, seu Mens (§§. 1. et 42.). Illud aliud autem, cuius existentiae conscientia Subiecto inest, vocatur *Obiectum*. Conscium esse existentiae Obiecti, idem est atque illud *percipere*.

Sicuti Potentia sui conscientia omnino specie differre potest, ut alia sit tantum obscurae sui conscientiae capax, alia clare sui conscientia, ita pariter Subiecta hoc modo diversa cogitari queunt. Nos hic tantum de Subiecto clare sui conscientio agimus.

163.

Quaelibet Mens, licet absoluta sit ac per se subsistens, tamquam Subiectum tamen continuo ad aliud aliquid, cuius existentiae conscientium est, refertur; omne Subiectum itaque *relativum* est. Nihil obstat autem, quin illud aliud, cuius existentiae conscientium est, seu Obiectum, vicissim Subiecti sui aequa conscientium sit, proin Subiecti sui fiat mutuum Subiectum.

Quare nequaquam probari potest ea quorundam definitio, qua Subiectum id esse asseritur, „*quod omnia cognoscit, et a nullo cognoscitur*“. Vid. A. SCHOPPENHAUER, *die Welt als Wille und Vorstellung*. Leipzig. 1819. 8. p. 5. — Notio haec nempe assumi videtur, ut viam ad Pantheismum sternat.

164.

Subiectum, velut Potentia clare sui conscientia, actuositatis suaē directionem duplē habere potest (§. 46.);

a) vel eam, ut tantum discernendo agat pro se, sui conscientia *intra se* agat, i. e. Obiectum *percipiat*;

b) vel eam, ut discernendo etiam tendat ad conservandum aut mutandum id, quod discernit, sui conscientia *extra se* agat, i. e. Obiectum *exhibeat, sistatque.*

165.

At vero Subiecta, quatenus Mentes sunt, inter se differre possunt etiam existentiae suae puritate. Etenim

1) Subiectum aliquod concipi potest velut *Mens purissima*, cui neque Vis, neque Materia intime iuncta est, quae proinde neque a Vi, neque a Materia quadam affici potest, adeoque nullo modo limitata est.

2) Subiecta vero alia possunt esse Mentes eiusmodi, quibus tamen Vis quedam intime iuncta insit; quare iam per aliam aliquam Vim affici queunt, atque ita iam aliquatenus arctata sunt.

3) Subiecta denique alia cogitari possunt, quae Potentiae quidem clare sui conscientiae, tamen non modo Vim, sed et Materiam quoque sibi intime nexam habent. Vnde non modo per aliam quandam Vim et Materiam quoque affici possunt, sed neque ad Mentem eorum quidpiam pertingere potest, nisi per eorundem Vim et Materiam; quo igitur prae ceteris longe maxime finita sunt.

166.

E qua diversa Subiectorum indole suapte consequitur proprius cuique Obiecta percipiendi et exhibendi modus.

1) Subiectum primi ordinis nempe omnia Obiecta *percipit* noscendo tantum, ac directe

(immediate) quidem: quaè Obiecta vero *exhibit*, ea volendo tantum sistit, aequē directe; ad ea proferenda nempe sola voluntas eius sufficit.

2) A Subiectis alterius ordinis vero Obiecta *percipiuntur* noscendo quidem, verūm indirecte (mediate) per Vim, quae iisdem iuncta inest; Obiecta vero ab iis haud aliter, quam indirecte, per Vim, agendo sisti possunt.

3) Subiecta tertii ordinis demum Obiecta *percipiunt noscendo*, at magis indirecte, nempe per Vim et Materiam, quam vtramque intime et aequaliter sibi iunctam habent, sicut etiam Obiecta non secus, nisi mediate per Vim et Materiam, operando, exhibere queunt.

167.

In Subiectis igitur ad ordinem hunc tertium spectantibus, non modo Materia cum Vi iam intime ac aequaliter iuncta, i. e. Materia empirica organica (§. 64. 118.), adesse debet, sed etiam Potentia clare sui conscientia, seu Mens, cum Materia hac empirica organica intime et aequaliter nixa sit oportet, quod non alias, nisi ope *Vis peculiaris intermediae* fieri vidimus (§. 69. 70.), cuius omnino praecipua functio et dignitas inde appetet.

168.

Vt igitur aliquod huius tertii ordinis Subiectum Obiecta percipere queat, hacc, seu in Mentem, seu Vim, seu Materiam Subiecti agere velint, semper in eo primum conscientiam nexus eius intimi cum Vi ac Materia sua, i. e. *sensum*, provocent necesse

est. E quo sensu suo demum, proin mediate, Subiectum sua actuositate interna porro conscientium fit Obiecti, quod tamen deinceps etiam intelligere et sola Mente sua discernere poterit. Dum Subiectis itaque superioribus proprium est, ut Obiecta directe, seu immediate, percipient et cognoscant: Subiecta tertii ordinis ita comparata sunt, ut res sibi obiectas non secus nisi mediate, i. e. *sensu*, *αἰσθήσει*, percipient. Quare haec *Subiecta* omnino latiori sensu *aestheticā* sunt.

169.

Cum vero intimus talis nexus inter Mentem et Materiam duplex praecipue in Subiecto aestheticō obtineat, Sensus quoque, qui nihil, nisi conscientia huius nexus intimi est, duplex praesertim discernendus erit. Alter nexus nempe is est, qui inter Subiecti vires inferiores et Materiam intercedit, quasi corporeus, cuius conscientia ergo *Sensus corporeus*, crassior, physicus, dicetur; alter vero adest nexus superior inter Mentem et Materiam organicam, psychicus, cuius conscientia quoque *Sensus psychicus*, nobilior certe, nominari debet. Sensui tamen corporeo, utpote in quo semper Materia praevalat, conscientia nexus inter Mentem et Materiam intimi quidem, non tamen aequalis, inesse potest, nunquam igitur eidem Pulcritudo competit; sensus autem psychicus, quotiescumque conscientiam et intimi et aequalis nexus inter Mentem et Materiam referet, merito *pulcer* appellabitur. Quod Subiectum proinde hoc sensu psychico gaudet, strictiore significatu *aestheticum* dici debet.

170.

Subiectum aestheticum, quod hac ratione Obiecta pulera percipit, magis accepta fert, patienterque paret (passivum est), quam ut ipsum quoque actuositatem suam extra se exerat. Quoties autem Vis intermedia (§. 167.), cuius continua magnaque actuositas est, ob quamcunque causam solito magis intenta (ἐνθεος, ἐνθεσιάζων, ἐνθεαζουμένη), formas, quas in viribus materiisque suis praesto habet, sponte sua facilique negotio ad Mentis suae leges conciens atque intime iungens, eidem vel intra se tantum no-scendas exhibet, vel etiam extra se (extra corpus suum) sistit; toties ipsa quidpiam in se gignendo ac generando profert, *Ingenium* est. In qua formarum suarum copulatione, si non tantum intima, sed etiam aequalis Materiae Mentisque consensio viget, *Ingenium* vere, ac strictiore significatu, *aestheticum, pulcrum*, merito audit.

171.

Quemadmodum singulae quaeque Potentiae clare sui conscientiae obiectis indoli suae convenientibus percipiendis, ac pro ratione intensionis et directionis suae etiam exhibendis, idoneae sunt: ita plures quoque Mentes, quatenus iisdem legibus intelligentiae voluntatisque obnoxiae, pari libertate morali gaudent, in rebus obiectis iisdem pariter percipiendis, ac pro ratione intensionis et directionis suae etiam exhibendis, inter se consentire coalescereque possunt. Quo sane plurium Subiectorum communio quaedam et tamquam identitas nascitur, quam velut vnum *Subiectum commune* considerare licet, qualia plura

iterum in maius et sublimius quoddam Subiectum convenire possunt.

Cum vniuersusque Subiecti, velut Potentiae clare sui conscientiae, perfectio in aeternarum legum veri rectique observantia libera ex voluntate supremi Numinis consistat, ea, quam supra diximus, Subiectorum quo plurium iuxta leges has in cogitando atque agendo consensio et communio non tantum optanda, sed et quovis recto modo procuranda est, quo generis humani perfectio in dies maiora continuaque capiat incrementa.

172.

Singula quaeque Subiecta aesthetica, licet a natura omnino Mentis cum Materia sua nexus intimum possideant (§. 168.), ideo tamen non statim aequalem etiam hanc obtinent connexionem. Inaequalis autem inter Mentem et Materiam coniunctio, Materia praevalente, ruditatem asperitatemque adserit, praevigente Potentia, rigorem et exilem inanitatem inducit. Vtraque tamen ad aequalitatem sensim vel naturali maturitatis consecutione suapte pervenit, vel externa ope, seu arte, perduci, adeoque erudiri et ad culturam aestheticam evehi potest. Idem in Subiectis communibus, e singulorum consortione coalescentibus, obtinet, de quibus itaque idem valet, quod de singulorum vita bene monet CICERO *de senect. X*, 33: „Cursus est certus aetatis, et una via „naturae, eaque simplex: suaque cuique parti aetas, tempestivitas est data.“

173.

Subiectum aestheticum omnia obiecta sua pri-
mum sensu percipit (§. 168.), a quo deinceps pede-

tentim ad Mentis ipsius conscientiam, adeoque ad intelligentiae rationisque usum peculiarem attolli potest. Quare cultura quaedam aesthetica etiam longe prior in Subiecto tali obtinebit, quam cultura seu intellectualis seu moralis a sensibus abstracta seorsaque. Quod idem in subiectis aestheticis communibus e singulorum consensione natis natura rei fert.

174.

De Subiectis auditu, loquela, visu tactuque aut alio quocunque organo sensorio empirico praeditis Aesthetica pura nihil novit; eo minus de poëta, pictore, sculptore alioque artifice in specie quidpiam e solo Subiecti aesthetici conceptu asserere audet. Harum rerum cognitiones non aliunde, nisi e fontibus experientiae hauriuntur.

B.) *Obiectum aestheticum purum.*

175.

Obiectum est, quidquid ad Subiectum refertur, ut existentiae illius concium fiat, seu, quidquid a Subiecto percipitur. Res obiecta Subiecto. Obiectum itaque continuo in relatione (passiva) ad Subiectum cogitatur; quare idem, quod alio respectu (nimirum activo) Subiectum est, alio (nempe passivo) respectu Obiectum fieri potest. (§. 162.)

176.

Non omne, quod est (existit), ideo statim Obiectum est; potest enim re ipsa adesse, quin omnino

ad Subiectum aliquod referatur, vel quin ad Subiectum illi pereipiendo par et idoneum pertingat. Ex adverso autem saepe, quod reapse non est, aut per se non subsistit, sed effectus tantum et accidens alterius rei per se subsistentis est, tamen ad Subiectum aliquod ita referri potest, ut ab eo velut Obiectum per se subsistens percipiatur. Quod *Obiectum* erit *duntaxat relativum, prorsus relativum*, a quo dein differet *Obiectum absolutum* (aliquatenus quidem etiam relativum), quod tamen praeterea per se subsistens, atque *tale* est, quale a Subiecto percipitur.

177.

Id, quod re ipsa est (existit), et ad Subiectum aliquod refertur, vel Materia pura est, vel Potentia pura, vel vtraque iuncta, seu empirica. Quae quidem ex his pura sunt, Obiecta fieri queunt Subiectis superioribus idonea (§§. 165. 166.), a quibus magis minusve directe percipiuntur; a Subiecto tamen tertii ordinis, seu aesthetico, nunquam directe pureque percipi poterunt, quippe quod solummodo Materiae ac Potentiae vtrique empiricae percipiendae aptum atque idoneum est.

Obiectum igitur, quod Subiecto aesthetico respondeat, neque ad Potentiam puram, neque ad Materiam solam pertinere debet, sed ex vtraque conflatum sit, proinde formam (§. 109.) contineat, oportet. Quale *Obiectum* vniverse ac latiore sensu *aestheticum* dicetur, quoniam sensu, *αἰσθήσει*, tantum a Subiecto percipi potest.

178.

Obiecta aesthetica tamen etiam latiore significatu accepta longe alia sunt, in quibus Vis duntaxat et Materia nexae adsunt, alia, quae Mentem et Materiam iunctas complestuntur. Illa Subiecti aesthetici sensu corporeo, adeoque inferiore, in quo semper Materia praevalit, percipiuntur, merito proinde *Obiecta aesthetica inferioris generis*, viliora, nuncupanda sunt. Haec vero, quae Subiecti aesthetici sensu psychico, seu superiore, percipi solent, *Obiecta aesthetica superiora*, nobiliora, appellare fas est.

179.

At vero neque sensus psychicus Subiecti aesthetici semper aequalis est, vt pote qui saepe Mentis omnino praevertentis conscientiam refert (sensus veri rectique); Puleritudinis autem praerogativa istantum gaudet, qui ex intima et aequali Menti et Materiae consensione nascitur. Tale Obiectum igitur tantum sensui psychico pulcro respondebit, quod aequo intimam et aequalem communionem inter Mentem et Materiam, seu formam pulcram, praefert; tale dein etiam *Obiectum vere*, seu strictiore significatu, *aestheticum*, pulcrum, nominare conveniet.

180.

Obiectum eiusmodi vere aestheticum, quatenus reapse adest ac pro se subsistit, idem est cum perfecte *Pulcro absoluto* (§. 79.), quod dum formam pulcrum Subiecto aesthetico exhibit, atque ab hoc percipitur, simul aequo *relativum* sit. Absolutum hoc autem communiter etiam *prosum*, prosaicum, vulgare,

$\pi\epsilon\zeta\circ\nu$, $\pi\epsilon\zeta\iota\kappa\circ\nu$ dicitur. Atque haec sunt Obiecta aesthetica *Naturae* pulera, quorum notas Calleologia pura synthetica exposuit.

Obiectum igitur *Naturae* pulcrum, pure consideratum, illico sit aestheticum, si ad Subiectum aestheticum refertur. Quare omne, quod in Natura vere pulcrum est, etiam simul aestheticum evadere potest, et tamquam tale a Subiecto vere aestheticō appercipi debet; quod si non fiat, alterutrum subversetur oportet, vt nempe aut Natura non sit pulera, aut Subiectum non sit vere aestheticum.

181.

Enimvero saepe id etiam, quod re vera tale non est, quale videtur, aut quod effectus tantum et accidens est alterius rei per se subsistentis, non ipsum per se subsistens, tamen ad Subiectum aestheticum ita referri potest, vt ab hoc tamquam Obiectum per se subsistens percipiatur; quod igitur *Obiectum aestheticum prorsus relativum* (§. 176.) erit. Id nempe obtinet, quoties Subiecti aesthetici *Vis intermedia* per effectum aut accidens illud eo modo afficitur, vt eiusdem actuositate Mens intimi sui et aequalis nexus cum Materia sua reddatur conscientia, i. e. sensus psychicus provocetur, qui si gratus sit, Vim intermedium sua contentione vicissim ad eam actuositatem impellit, quam *Ingenium* dicimus (§. 170.), qua, ductu impressionis in se factae, formas analogas in se latentes excitat, inter se iungit, Mentique ita praesentes exhibet, ac si per se subsistentes adessent. Quae formae proinde, siquidem ab ingenio fieri fingique debent, *poëticas*, $\piοητικαι$, recte vocantur.

182.

Effectus atque impressio talis autem in Subiecti aesthetici Vim intermedium fieri potest tam interna quadam virium corporis in Subiecto provocata commotione, quam *externa impulsione* Subiecto extrinsecus oblata; quarum utraque si destinato consilio aptoque modo adhibetur, *artis aestheticae* operatio est; si vero non de industria, neque ad propositum finem suscepta, eventu ancipiti contingat, eam *casui* sane tribuimus, quo qui vehementius agitur, fanaticus dici solet. Utraque tamen via haud raro id efficitur, ut quod natura sua deforme, adeoque absolute turpe est, tamen tamquam Obiectum prorsus relativum a Subiecto aesthetico velut pulcrum percipiatur; qua ratione igitur Natura, in quantum per se pulera non est, venusta reddi ornarique potest.

183.

Impressionem vero atque efficaciam hanc in Vim intermedium Subiecti aesthetici nihil aliud praestare potest, quam ipsa Potentia (Vis vel Mens) per Materiam Obiecti se manifestans, quae *Expressio, Ausdruck*, haud incommode dicitur, quasi enuntiatio atque exsertio Interni. Potentia tamen haec per Materiam et in eadem tantum se manifestans eo solummodo in Obiectum relativum vere aestheticum assurget, si cum Materia sua intime atque aequaliter iuncta compareat, proinde *formam pulcram* referat, cuius notas Calleologia synthetica indicavit.

Idem omnino censet cel. KÉRATRY *sur le Beau*, T. II. p. 9. sq., quod pro exquisito, quo sane multis praestat, eloquendi modo, his verbis enuntiat: „*Dans*

les arts d'imitation, sans excepter l'éloquence et la poésie, il serait difficile de fonder des règles précises, puisqu'il y a divers moyens de succès. Parmi ces derniers, il en est deux, dignes avant tous autres d'appeler nos regards; et tous les deux sont compris dans le précepte de l'école romaine, qui, par eux, est parvenue à remplir les deux conditions de ce chapitre: LE BEAU DANS LES FORMES, LE BEAU DANS L'EXPRESSION. Si la doctrine que contiennent nos pages n'est pas une erreur de notre imagination, si l'immense renommée de Raphaël n'est pas un outrage fait à la vérité, à peu de chose près, tout l'art est contenu dans ces paroles.“

Verbum exprimere autem romanis auctoribus melioris notae hoc etiam sensu, quo hic vtimur, haud insolitum fuisse, docet inter alios locus CICERONIS in Orat. 185. „Multis seculis ante oratio nuda ac rudis ad solos animorum sensus exprimentdos fuit reperita, quam ratio numerorum, causa delectationis aurium, excogitata.“ Vnde nomen Expressio quoque hoc significatu adhiberi posse videtur.

184.

*Qua ratione quidem Naturae obiecta absoluta non modo pulchiora reddi ornarique, sed eadem geminari quoque ac multiplicari queunt, si quidem id, quod per se subsistit, imitatione apta velut Obiectum prorsus relativum exhiberi, adeoque denuo ut praesens offerri, seu repraesentari, potest, quo eandem impressionem in Subiectum aestheticum faciat, quam ipsum Obiectum absolutum facere solet. Repraesentatio haec imitando effecta, ergo ad instar ac similitudinem Obiecti absoluti praestita et pro lu-bitu iteranda, recte *imago*, *imitago*, *him*, *kép*, et *εικὼν*, *icon*, *simulacrum*, appellatur; res autem repraesentata, seu Obiectum absolutum, quod imitan-do exhibetur, *archetypus*, *prototypus*, *forma pri-**

ma, *exemplar*, originale vulgo, *remek*, *Urform*, dicitur.

Quatenus igitur Ars pulcra aesthetica sane obiecta prorsus relativa non alio modo, nisi naturae obiecta absoluta, seu ex integro, seu particulatim; imitando format (§§. 179, 180.), eandem omnino in imitatione, μιμήσει, positam recte animadvertis Aristoteles. Cum tamen ea quoque Ars pulcra sit, quae Obiectum absolute pulerum reapse sistit (§§. 111. 123. 131. 153.); facile intelligitur, non omnes artes pulcas, neque in omnibus, ad imitationem restrictas esse, quod ipsum Aristoteles aequa sagaciter observat, e. g. *de arte poët.* XXV, 2. Quo sententia eiusdem, interpretes frustra exagitans, qua poësim et musicam mox imitationes esse, mox non esse, pronuntiat, haud amplius dubia manet. Conf. G. HERMANNI *comment. ad Aristot. art. poët.* p. 85. sq.

185.

In Obiecto eiusmodi prorsus relativo, ad similitudinem Obiecti absoluti efficto, seu in Imagine ac Repraesentatione qualibet, triplicem formam distinguer oportet. Nimirum

1) alia est forma ipsi archetypo inhaerens, cui *veritas naturae* (obiectivitas, realitas §. 111.) convenit, quam formam *internam* vocare vellemus;

2) alia, quae imagini per se spectatae inest, *forma externa*, in qua tamen *veritas artis* (§. 111.) necessario adesse debet;

3) alia, quae in imitatione ipsa, seu in conne xione archetypi cum imagine, ponitur, in qua veritas naturae cum veritate artis coniuncta requiritur; quam *formae intermediae* nomenclatione signare haud absolum erit.

Quae formae tres interdum ita sunt disiunctae, vt prototypus per se pulcerrimus nonnunquam imagine turpi exhibeat, saepe archetypus in se deformis imagine admodum pulra repraesentetur, mox vtraque forma, eum interna, tum externa, pulra est, imitatio vero ipsa non pulra. Atque hoc indicio gradationes pulcritudinis in quacunque imagine dignoscere licet, quatenus vel vnam ex his formis, vel duas, vel omnes tres complectitur.

186.

Non omnia tamen Obiecta aesthetica prorsus relativa, licet imagines et repraesentationes aliorum sint, archetypos habent absolutos ac per se subsistentes (*reelle, wirkliche Urbilder*), verum aequo prorsus relativos, ingenio Subiecti aesthetici duntaxat procreatios fictosque (§. 181.). Quare in his obiectivitas absoluta, seu veritas naturae, nequaquam spectatur; sed obiectivitas aesthetica, seu veritas artis duntaxat, quae in connexione intima Materiae ac Potentiae prorsus relativae cernitur.

Verum etiam in his Obiectis tractandis ac diuidicandis triplex forma solerter discernenda est, quarum aliam aequo *internam*, *externam* aliam, aliam *intermediam* vocare placet.

Interna nimurum ad argumenti, quatenus ingenio Subiecti aesthetici comprehenditur, compagm attinet, cuius momenta caussasque ordinat ac nectit.

Externa forma partes Materiae, quatenus in Sensus externos agunt, rite iunctas dispositasque continent, et a mechanica tractatione pendet.

Intermedia denique externam internamque formam simul respiciens et ad se mutuo referens, vinculum utriusque efficit, cui pariter pulcritudo constare debet sua.

Cel. GÖTHE in *Propylaeen* I. Band, 1. St. Einl. p. XIX. idem innuit: „Ist nun der Gegenstand glücklich gefunden, oder erfunden, dann tritt die Behandlung ein, die wir in die geistige, sinnliche und mechanische eintheilen möchten. cet.

187.

Obiectum [vere aestheticum prorsus relativum itaque semper consistit e *Materia relativa* (Externo quodam), quae in sensum externum Subiecti aesthetici agens, vna tamen *Potentiam relativam* (Internum suum) aequaliter intimeque sibi iunctam ita manifestat et exserit, vt eo Vim intermedium quoque Subiecti aesthetici afficiat. Quo necessario id efficitur, vt Obiectum artis pulcrum *se ipsum enuntiet* atque expromat, Subiecti naturae humanae quidem universae convenienter. Quare obiectum vere pulcrum in se ipso significationem sui continet.

188.

At vero Obiectum aestheticum singulare, tametsi per se aliquod Totum efficit, tamen pars etiam Obiecti aesthetici alterius collectivi, tamquam altioris, fieri potest, quatenus hoc vel *Signum*, vel *Complexus obiectorum* est.

Si enim Obiectum singulare *Materiam empiricam*, seu Externum duntaxat, tanquam vnam partem Obiecti altioris in se continet, aliud vero Obie-

ctum complectitur *Potentiam empiricam*, seu Internum, velut alteram partem Obiecti altioris; e duabus his partibus ad se mutuo collatis nascitur Obiectum commune velut altius, quod vocatur *Signum*, σημεῖον, jel, Zeichen. Ita facies pallida signum est timoris, leo signum fortitudinis, Hercules in bivio signum animi libera voluntate agentis, seu libertatis moralis.

Atque Obiectum singulare, quo Externum (Materia) continetur, proprie *Signum* dicitur, illud vero, cui Internum (Potentia) inest, *Signatum* appellatur; utriusque coniunctio autem *Significatio* audit. Vnde patet, illud Obiectum tantum, quod Signum est, praeter significationem sibi inherentem ac propriam, aliam quoque extra se habere, quae in Signato latet. Signum, quod universe dicimus, in plures abit species.

1) Illud, cuius Externum per se non subsistit, sed accidens tantum est alterius Obiecti, *Symptoma* vocatur; veluti pallor faciei symptoma timoris est.

2) In quo vel Externum solum per se subsistens est, vel tam Externum, quam Internum, ut tale cogitatur, *Symbolum* appellari consuevit; v. c. Leo symbolum est fortitudinis, vel etiam herois. Quod dein Symbolo, tanquam pars, verum per se subsistens, additur, ad significationem illius magis determinandam, *Attributum* dicitur.

3) Cuius Externum denique complexus plurium rerum per se subsistentium est, velut actio integra, vel eventus, *Allegoria* nuncupatur; v. c. Hercules in bivio; partes autem huius, vel obiecta singula, sunt res aut personae allegoricae.

189.

Alter modus, quo aliquod Obiectum aesthetica-
cum vt pars alterius comparet, is est, quando cum
pluribus aliis inter se iunctis vnum quoddam totum
efficit, complexum nempe talem, cuius partes singu-
lae per se quoque tam ex Materia, quam Potentia
totius partem capiunt, omnes tamen inter se colla-
tae et copulatae tantum conficiunt id, quod illud to-
tum, vt Obiectum pulcrum, requirit. Hoc modo
symplegmata, compositiones maiores, dramata cet.
consistunt.

190.

Obiecta aesthetica igitur, seu relativa, respectu
eius, quod continent, seu argumenti sui, sunt

A.) vel *in se absoluta*, i. e. Obiecta naturae;
et quidem

- 1) *ex integro talia*, Obiecta naturae primitiva;
- 2) maiori parte quidem absoluta, *aliqua tamen ex parte prorsus relativa*; Obiecta naturae
exculta, nobilitata.

B.) *Vel prorsus relativa*; artis opera; nempe

1) *Imagines*; et quidem

- α) singulares,*
- β) complexae.*

2) *Signa*; quae

a) per se subsistere solent,

- α) symbola,*
- β) allegoriae.*

b) quae in aliis tantum persistunt,

- α) symptomata*
- β) attributa.*

191.

Quantumlibet differentis argumenti Obiecta aesthetica sint, pulera tamen vniuerso vno eodemque modo tantum reddi queunt, videlicet per Materiae ac Potentiae suae intimam et aequalem coniunctionem, quatenus ea Subiecto aesthetico percipienda praebetur. Quae nimurum in se absoluta sunt, vtpote corpora naturae, id, quod seu ex Materia, seu ex Potentia iisdem ad intimam et aequalem vtriusque connexionem deest, accipient assumantque, necesse est; quae autem prorsus relativa sunt, artis opera scilicet, cunctis characteribus notisque instruantur, quibus in Subiectum aestheticum intimae et aequalis inter Materiam Potentiamque consensionis impressionem excitare valeant. Omnes igitur, quotquot sunt, modifications ac species pulcritudinis, quas Calleologia synthetica exposuit, Obiecto aesthetico his viis comparari queunt, quo et nativa, et varia, nova, magna, sublimia cet. fiant.

192.

Quia vero Pulcritudo, quae in Obiectis aestheticis requiritur, Materiae Potentiaeque intimam et aequalem coniunctionem exigit, Obiectum aliud iam ipsum huius aequalitatis *momentum* vnicum et quasi libramentum continebit, aliud Obiectum vero accessus ad illam aequalitatem gradatim perficiendi, aut etiam recessus ab eadem faciendi successionem, proinde *plura momenta* comprehensa pree se feret. Quo fundamento Obiecta aesthetica, respectu formae pulcrae, quam referunt, alia *simultanea* sunt, quae vnum pulcritudinis exactae atque consummatae mo-

mentum continent; alia *successiva*, in quibus plurimum momentorum consecutio et ad unum complexis respicitur.

193.

Differunt denique inter se Obiecta aesthetica praeter haec modo, quo Subiectis aestheticis exhiberi solent. Alia nimurum, velut ab auctoribus suis iam emancipata, libertatique quasi adserta, ipsa solaque semet Subiectis aestheticis directe sistunt percipienda, velut poësis lyrice, dramatica, tabulae pictae, statuae cet.; alia vero haud secus, quam per Subiectum aliquod aestheticum, quod cum Obiecto simul adest eodem complexu iunctum, offeruntur, v. c. poësis epica, musica, mimica, orchestra. Priora fortassis *Obiecta immunia*, i. e. ab artificis sui munere iam libera, (*unabhängige, unmittelbare Gegenstände*), altera demum *Obiecta munia*, quasi ab officio artificis (Subiecti sui aesthetici) adhuc pendentia, (*abhängige, mittelbare Gegenstände*) vocari posse putamus.

194.

Quatenus obiecta aesthetica quaedam visu, auditu, tactu, aliisque forte sensoriis organis empiricis percipiuntur, ea quidem in Aesthetica pura, quae ex conceptu puro Obiecti aesthetici argumentando varias eiusdem formas deducit, locum non habent. Eo minus proinde hic artes exponi possunt illae, quarum ope haec obiecta formantur. Cuncta haec ad Aestheticae empiricac ambitum pertinent.

CAPUT SECUNDUM.

AESTHETICA PVRA SYNTHETICA,

SEV

METHODICA.

195.

Subiectum et Obiectum utrumque aestheticum ex conceptu atque indole sua continuo ad se invicem referuntur (§§. 162. 175.). Mutuae huius relationis autem varii modi, horumque diversi effectus esse possunt: quare omnino solerter dispiciendum, quinam ex his modis effectusque Philocaliae principiis apprime conveniat.

196.

Obiecta quaedam aestheticā in Subiecto aestheticō sensum physicum, corporeum, provocant (§. 169.). Hic inde provenit, quod Obiecti vis et materia cum Subiecti viribus et materiis se vel intime iungunt, quo *sensus physicus gratus*, voluptas, *Lust*, oritur; vel Obiecti vis et materia cum Subiecti viribus et materiis confligentes, has turbant aut destruunt, quod *sensum physicum ingratum*, taedium, *Unlust*, parit. Sicut autem voluptas vires Subiecti ad continuandam sui cum Obiecti vi et materia coniunctionem determinat, quod *appetitionem*, concupiscentiam, *Beghren*, vocamus; ita taedium vires Subiecti ad Ob-

iecti vim et materiam a se avertendam impellit, quae
aversatio, *Abscheu*, appellatur.

Alia Obiecta aesthetica vero in Subiecto aesthetico *sensum psychicum* excitant (§. 169.), qui tum nascitur, si Obiectum, Vim intermedium Subiecti afficiens, hac impressione ad totum Subiectum delata, Subiecti naturae psychicae legibusque organismi psychici consentiens invenitur. Vnde *oblectatio peculiaris*, ab illa voluptate, quae obiecta physica comitatur, multum recedens, profluit, quae nempe Subiectum aestheticum non ad Obiectum secum vniendum invitat, verum ad illud, quod toti naturae suaे consentaneum percepit, integrum conservandum tuendumque determinat.

197.

Subiectum igitur, dum Obiecta sensu physico grato percepta appetit, his in partes dissolutis vesci, frui, eaque sibi vnire cupit; cum autem Obiecta sensu psychico grato apprehendit, eadem propter plenam cum tota natura sua psychica consensionem, nequaquam dissoluta secum iungere, verum integra conservare ac perennare desiderat. Obiectum igitur pulerum, quod non alio, quam psychico sensu percipitur (§§. 169. 178. 179.), Subiecto aesthetico sane carum ac psychice dilectum (*φίλον*) esse debet. Quam vere apud THEOGNIDEM Musae Charitesque canunt: „ὅττι καλὸν φίλον ἐσι· τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐσι. .“

Cum I. KANT *Critik der Urtheilskraft*. Berlin, 1793. 8. pag. 5. sqq. de oblectatione loquitur, quam ex Obiecto pulcro percipit Subiectum aestheticum,

quin eius *intersit*, vtrum Obiectum illud existat, nec ne (*Wohlgefallen ohne Interesse*), appetitionem voluptatis a desiderio servandi obiecti pulcri haud accurate distinxisse videtur. Quod recte quidem animadvertis HERDER *Kalligone I*, sect. 5., non satis diligenter tamen explanat.

198.

Appetitio physica, seu corporea, facile saturatur; expleri enim debet, vt primum Obiecti vires ac materiae tot tantaeque in Subiecti naturam physicam transiverunt, quot quantasque organismus eiusdem recipere valet.

Pulcri desiderium vero insatiabile est; quia Subiectum aestheticum Obiecta talia, quae neque in naturam corporis sui se ingerunt, neque alio modo illam turbant aut dirimunt, sed ad aequabilem potius moderationem adducunt, perpetuo servare tuerique conabitur. *Οὐδεὶς κόρος τοῦ παλοῦ.*

199.

Obiecti aesthetici pulcri oblectatio illa peculiaris, quae in sensu psychico Subiecti aesthetici provocatur (§. 196.), mentem eiusdem ad iudicium de Obiecto ferendum determinat, illud pulerum esse. *Iudicium* eiusmodi, vtpote sensu psychico nixum, nequaquam directe logicum est, sed *aestheticum* recte dicitur. Subiectum aestheticum tamen id, quod nunc sensu suo tamquam pulerum percepit, alio momento rursus mente sola atque intelligentia percipere potest, qua notas eiusdem communes in complexum notionis iungit, adeoque cogitando apprehendit. Quamobrem omnino idem Subiectum Obiecta pulra et sentire et

cognoscere, tametsi non eodem tempore, potest (§. 8.). Vnde vix amplius dubio locus erit, utrum Pulcri sensus huiusque critica tantum, an vero etiam Pulcri cognitio ac doctrina detur.

200.

Quodsi Obiecta pulcra igitur a Subiecti intelligentia seorsum apprehendì cognoscique possunt, necessario ad principia cogitandi mentisque leges applicari atque exigi debent; quamobrem de iis etiam disputare fas est, seu opposita iudicia de pulcro ad normam horum principiorum examinari et controversiae de iis exortae dirimi possunt. Quod igitur inficitis in proverbio est: „de gustibus non est disputandum“, haudquaquam de sensu ac iudicio pulcri oportet intelligere, verum de perceptionibus gratis physicis, quae pro diversa constitutione corporis Subiectorum diversae, eaedemque tamen omnes in se, quoad diversa corpora, ad quae pertinent, verae ac rectae simul esse queunt.

201.

Obiectum pulcrum, quod ex elementis suis, Materia et Potentia, aequaliter intimeque iunctis constat, a Subiecto percipiente tamen ita dirimi potest, ut alterutrum ex his elementis tantum distinctim apprehendat, quo dein id consequitur, ut vel Materia Obiecti solum arrepta naturam suam physicam potius affectam sentiat, vel Potentia Obiecti praesertim appercepta Mentem animumque magis commotum intelligat. Neutro modo autem Subiectum natura sua aesthetica plena agit, neque proin pulcri-

tudinem Obiecti percipere potest, nisi illud continens atque integrum apprehendat.

202.

E converso dein Subiectum aestheticum in se omnino plene congruens, suaque indole tota aesthetica agens, Obiectum eiusmodi, quod seu Materiam, seu Potentiam suam tantum distinctius ac valentius profert atque exhibet, ut Pulcrum, in quo tamen elementum vitrumque pari dignitate intime nexum compareat, percipere nequit. Relatio mutua nempe inter Subiectum vere aestheticum et Obiectum pulcrum ea tantum completa, incorrupta castaque est, qua Obiectum hoc integrum a toto Subiecto plene percipitur.

Bene monet J. P. ECKERMAN Beyträge zur Poësie. Stuttgart. 1824. s. p. 1. „Alles künstlerisch Hervorgebrachte will als ein Ganzes wirken und hat das Einzelne oft nur einen Werth, insofern es zu Hervorbringung der beachtigten Totalwirkung das Seinige beyträgt.“ — Merito inepti iudicii cognomine taxatur a Jo. Jac. WAGNER System der Idealphilosophie. Leipzig. 1804. p. 287. „wenn ein ideenloses Begaffen der Kunstwerke, eine todte Zergliederung ihrer Begriffe und Formen, und ein relatives, ins Unendliche nie sattes, Bekritiseln ihrer Eigenthümlichkeiten, sammt einem Gedächtnisskram von Manieren, Kunstschulen und Meistern, sich unter dem Namen des Kenners eine Competenz des ästhetischen Urtheils anmaassen will, und uns mit ermüdender Wiederholung gelernter Formeln aufdringlich ängstigt: wir verwerfen indignirt diese Kunstkennerey, und bedauern die Hoheit der Kunst, welche bey solchen Menschen der Wuth des Sammelns, Begaffens und Schwatzens zu fröhnen verdammt ist.“

203.

Eandem ob causam in Obiectis vere aestheticis formandis rebusque pulcris exhibendis tantum eiusmodi Subiectum aestheticum recte versabitur, quod non modo intima, sed etiam aequali Mentis ac Materiae coniunctione ad Obiecta extra se sistenda tendente gaudet, ad quam seu indolis psychicae felicis naturali flore ac maturitate, seu industriae suae culturaeque solerter proiectaē adminiculo, iam pertigit. In qua coniunctione quo magis ad eam Intelligentiae Mentisque perfectionem, cuius humana natura capax est, pervenit, cui deinde Materia intime iuncta aequaliter respondeat, eo altiore perfectionis gradu Subiectum aestheticum consistens, tantoque aptius censendum est ad Obiecta perfecte aesthetica exhibenda.

Id vero est, quod F. SCHILLER in censura carminum Bürgeri ihre meritoque tam acriter urget. „*Alles, was der Dichter (und überhaupt der Künstler) uns geben kann, ist seine Individualität. Diese muss es also werth seyn, vor Welt und Nachwelt ausgestellt zu werden. Diese seine Individualität so sehr als möglich zu veredeln, zur reinsten herrlichsten Menschheit hinaufzuläutern, ist sein erstes und wichtigstes Geschäft; ehe er es unternehmen darf, die Vortrefflichen zu rühren. Der höchste Werth seines Gedichtes kann kein anderer seyn, als dass es der reine vollendete Abdruck einer interessanten Gemüthslage, eines interessanten vollendeten Geistes ist. Nur ein solcher Geist soll sich uns in Kunstwerken ausprägen; er wird uns in seiner kleinsten Ausserung kenntlich seyn, und umsonst wird, der es nicht ist, diesen wesentlichen Mangel durch Kunst zu verstecken suchen. Nur der reife, der vollkommene Geist ist es, von dem das Reife, das Vollkommene aussfließt. Kein noch so grosses Talent kann dem ein-*

zernen Kunstwerk verleihen, was dem Schöpfer desselben gebreicht, und Mängel, die aus dieser Quelle entspringen, kann selbst die Feile nicht wegnehmen.“

Et ingeniosus aevi nostri poëta, C. PLATEN - HALTERMÜNDE, egregie iudicat:

,,Mündig sey, wer spricht vor Allen; wird er's nie,
so sprech' er nie;

Denn was ist ein Dichter ohne jene tiefe Harmonie,
Welche dem entzückten Hörer, dessen Ohr und Sinn
sie füllt,

Eines reingestimmen Busens innerste Musik ent-
hüllt? —

204.

Pulcra obiecta igitur tantum a Subiectis perfecte aestheticis plene percipi queunt. Τὰ ἀριστα μὲν τοῖς ἀριστοῖς. Vnde viciissim recta consecutione profecto inferri potest, quaecunque opera plausum et approbationem cultiorum omnis aevi hominum tulerunt, ea in se quoque pulcra atque aestheticē perfecta esse debere.

DION. LONGINUS περὶ ὑψους c. VII. „Ολως δὲ καὶ τὸν ὑψη καὶ ἀληθινὰ τὰ διαπαντὸς ἀρέσκοντα καὶ πᾶσιν (vbi fortasse addendum foret ἀριστοῖς, vel καλοκαγαθοῖς). “Οταν γὰρ τοῖς ἀπὸ διαφόρων επιτηδευμάτων, βίων, ζήλων, ἡλικιῶν, λόγων, ἐν τι καὶ ταυτὸν ἄμα περὶ τῶν αὐτῶν ἅπασι δοκῆ, τόθ’ η ἐξ ἀσυμφώνων ὡς κρίνεις καὶ συγκατάθεσις τὴν ἐπὶ τῷ θαυμαζομένῳ πίσειν ἵσχυρὰν λάμβανει καὶ ἀγαμφίλεπτον. Quem locum amplissimo commentario explicuit J. B. DUBOS *Reflexions critiques sur la poésie cet.* Paris. 1719. T. II. c. 22—38.

205.

Quemadmodum Subiecti aesthetici natura psychica tota cum ad percipienda, tum ad formanda exhibendaque Obiecta perfecte aesthetica requiritur: ita

vieissim Obiectorum pulcrorum impressiones ac veluti frequentationes ad Subiecti naturam psychicam explicandam, alendam et perficiendam plurimum valent. Quare mutua continuaque Subiectorum cum Obiectis aestheticis relatio vtrinque omnino incremента culturae profert, tam eius, quae in rerum pulclarum vertate atque affluentia conspicitur, quam illius, quae in hominum ingenii animisque ad veram humanitatis indolem excolendis consistit. Id quod de Subiectis et Obiectis tam singularibus, quam iis etiam, quae e plurium complexu arcliore nascuntur, affirmari potest.

Sagacissime animadvertisit GÖTHE in *Wilh. Meister's Lehrjahren* V. B. 4. C. „Der Mensch ist so geneigt, sich mit dem Gemeinsten abzugeben, Geist und Sinne stumppen sich so leicht gegen die Eindrücke des Schönen und Vollkommenen ab, dass man die Fähigkeit, es zu empfinden, bei sich auf alle Weise erhalten sollte. Denn einen solchen Genuss kann Niemand entbehren, und nur die Ungewohnheit etwas Gutes zu geniessen, ist Ursache, dass viele Menschen schon am Albernen und Abgeschmackten, wenn es nur neu ist, Vergnügen finden. Man sollte alle Tage wenigstens ein kleines Lied hören, ein gutes Gedicht lesen, ein treffliches Gemälde sehen, und wenn es möglich zu machen wäre, einige vernünftige Worte sprechen.“

206.

E converso itaque defectus et inopia rerum pulclarum, aut, quod peius est, praesentia continua et impactus deformium obiectorum, non possunt non Subiectum aestheticum pedetentim et a naturali virium ac materiae harmonia deturbare, et ab aequabili materiae mentisque consensione abducere. Inde autem necessario rudis et aspera indoles, at-

que ingenii, si quod adest, perversa directio consequitur. Quod ipsum in Subiectis aestheticis singularibus eadem ratione obtinet, velut in Subiectis collectivis, quae consortio quoquaque continentur.

207.

Omnis autem hic nexus Subiectorum aestheticorum cum Objectis paribus vnicet. *Vis intermediae* adminiculo effici conservarique potest (§. 181.), quae tamen, ut eundem aequabilem praestet, qualis ad pulcritudinem et percipiendam et exhibendam requiritur, ipsa sane vegeta atque incorrupta, altera ex parte Mentis leges inviolatas observet, altera vero Organismi physici naturam ab omni coactione immunem tueatur, necesse est. Quo maior itaque Vis huius intermediae dignitas agnoscitur, eo maior eiusdem recte exercendae ac diligenter moderandae, proinde a tenera aetate provida cura excolendae, necessitas appetit.

SECTIO SECUNDA.

AESTHETICA APPLICATA,

S E V

DOCTRINA PVLCRI RELATIVI EMPIRICI.

208.

Quae hactenus de Pulcro relativo puro, e sola notione eiusdem argumentando, asserebamus, ea nunc, vtrum in experientia etiam rerumque vsu, quibusve conditionibus empiricis affecta et arctata, compareant, animo sensibusque disquiremus. Qua in re quidem non tantopere de omnium, quae huc spectare videntur, partium ac formarum enumeratione plena, aut pertractatione ampliore, solicieti erimus, quam potius id agemus, vt doctrinae huius ambitum designantes, formamque certam adumbrantes, partium singularum nexus ductusque solerter indicemus. Quo nempe id assequi cupimus, vt non modo vniuersa haec scientia finibus iustis conclusa firmo consistat fundamento, verum etiam singulae quaeque partes, communi valida basi nixae, firmitatem adhuc desideratam consequantur, et recte collustratae iustum dignationem sortiantur.

Quamobrem hic aeque primum quidem elementa, e quibus Pulcrum relativum empiricum efflorescit, considerabimus in *Aesthetica applicata elementari, seu analytica*; deinde vero modum, quo

haec elementa coalescere solent ad Pulcrum relativum empiricum efficiendum, percontabimur in *Aesthetica applicata synthetica, seu methodica.*

CAPVT PRIMVM.

AESTHETICA APPLICATA ANALYTICA,

S E V

ELEMENTARIS.

209.

Pulcrum absolutum, e Materia et Potentia absoluta natum, per se subsistit, tametsi a nullo Subiecto percipitur. Hoc idem Pulcrum tamen evadit relativum, simulac ad Subiectum idoneum, a quo percipi queat, nempe ad Subiectum aestheticum, referatur, ergo simulac Obiectum fit aestheticum. Pulcri proinde relativi elementa sunt Subiectum aestheticum et Obiectum aestheticum; quae, quomodo in experientia occurrant, singulatim investigare oportet.

A.) *Subiectum aestheticum empiricum.*

210.

Differentiam inter Subiecta primi et secundi ordinis e notione pura Subiecti deductam (§§. 165. 166.), experientia, quae sensibus nostris circumscribitur, directe non advertit. Subiecta vero tertii ordinis

quae Mentem cum Vi et Materia intime iunctam continent, eo etiam, qui nobis concessus est, rerum vsu directe dignoscere datur. *Animantia* nempe, (Natura animata §. 130.) quorum indoles intima coniunctione tam Vis et Materiae empiricae, quam Potentiae sui conscientiae i. e. Mentis quoque, consistit, quascunque res sibi obiectas tantum conscientia nexus sui intimi cum Vi et Materia sua empirica, adeoque *Sensu* (§. 133. 1.), percipere possunt; quare omnino *Subiecta aesthetica* latiore significatu dici debent.

211.

Intima tamen haec Mentis et Materiae coniunctio in natura animata eo solummodo *aequalis* etiam evadere potest, si Mens non tantum Potentia obscure sui conscientiae sit, verum clara plenaque sui conscientiae gaudeat (§§. 136. 139.). E coniunctione autem intima et *aequali* Materiae cum Potentia clare sui conscientiae nascitur *Sensus psychicus*, qui pulcro percipiendo idoneus est; quem cum haud alibi, nisi in *natura humana*, humanitate, (§. 142.) observemus, inter omnia animantia solum Hominem *Subiectum aestheticum* strictiore significatu, seu *perfecte aestheticum*, pronuntiare possumus. Sensus pulcri igitur proprie sensus humanus est, peculiaris adeo insignisque humanitatis nota.

CICERO *de officiis*. 4, 4. „Nec vero illa parva vis naturae est rationisque, quod unum hoc animal (homo) sentit, quid sit ordo, quid sit, quod deceat, in factis dictisque, qui modus. Itaque eorum ipsorum, quae adspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulcritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit.“ —

Quare inter homines etiam, quibus Mens rudis est, obscura brutaque, ii sane belluarum instar etiam hoc sensu pulcri carent, ac multo ferociores plerumque fiunt ipsi quibuscunque feris bestiis. PLATO *de legibus*, lib. VI. „Ἀνθρωπος, παιδείας μὲν δρός της τυχῶν καὶ φύσεως εὐτυχοῦς, θειότατον ἡμερώτατον τε ζῶν γίγνεσθαι φιλεῖ· μὴ ἵκανως δὲ ἢ μὴ καλῶς τραφέν, ἀγριώτατον, δρόσα φυεῖ γῆ. — ARISTOTELES *Politico*. lib II. ὅσπερ γὰρ τελεωθὲν, βέλτισον τῶν ζῶν ἀνθρωπός ἐστιν· οὗτο δὲ χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης, κείουσον πάντων.

212.

In Homine igitur, tanquam Subiecto perfecte aesthetico, quod pulcris obiectis percipiendis aptum sit, spectanda est Mentis clare sui conscientiae ac Materiae intima et aequalis coniunctio, quae *Organismum psychicum* efficit (§. 139.). Hic vero tribus partibus, velut principiis suis, praecipue continetur: Mente seu *Potentia* clare sui conscientia, *Materia* seu Corpore, quod organismum physicum complectitur, et *Vi intermedia*, tanquam vinculo utriusque.

213.

Potentia, nempe Mens, in Subiecto perfecte aesthetico clarae sui conscientiae statum tam in spontanea actuositate, quam in simplicitate sua et communis indole exerenda tueri debet.

Ac primum non modo sponte, sed intelligenter quoque actuosa sit, eaque intensione agat, qua Materiae suae libramentum facile exaequet, Mentemque quamcunque in obiectis pulcris, quae percipere vult, latentem dignoscet et assequatur. Quem actuositatis vigorem, nisi naturae benigno munere iam teneat studio et cultura solerti adipisci conetur.

Talis mensclare sui compos ac sobria, aequem mentem, quae rebus pulcris percipiendis inest, agnoscat. Spiritus tantum spiritum concipit. Ὁ παλαιὸς λόγος εὐ ξεῖ, ὡς ὅμοιον ὅμοιῷ ἀεὶ πελάζει, ait PLATO in *symposio*. — Et Empedoclis effatum est apud ARISTOTELEM ethico-rum lib. VIII., c. 2: τὸ γὰρ ὅμοιον τὸ ὅμοιον ἐφίεσθαι. „Nur das Gleichartige kann sich fassen. Diesen Geist „zu erfassen, der über die Materie hinwegschwebt, ihr „gebietet, sie zusammensetzt und schöner formt, be-“ darf es eines ähnlichen prometheischen Funkens.“ GEORG FORSTER’s *Ansichten vom Niederrhein*. I. Theil, S. 81. f. — „Die Geister eines Buches (wie jedes Kunstwerkes) ruhen gleichsam alle gebannt; der Leser (Hörer und Beschauer) muss Kraft haben, sie zu lösen, wenn er ihre Wirkung erfahren will. Nun haben gewisse lesende (hörende, schauende) Individuen nur für gewisse Geister Kraft, alle übrigen bleiben in ihrem Bann. Je beschränkter das Individuum, desto weniger Geister eines Buchs (Kunstwerkes) werden frey werden, je grösser und vielseitiger, desto mehr. Je grösser demnach ein Schriftsteller ist, desto seltener wird auch ein Leser seyn, der Kraft habe, alle Geister seines Buchs sich lebendig entgegentreten zu lassen. Je geringer aber ein Schriftsteller, desto leichter werden die Geister seines Buchs von der Menge gelöst werden. Hieraus erklären sich alle Erscheinungen, wie sie uns täglich als Lob oder Tadel entgegentreten, und es wird nach Beherzigung des Vorstehenden, Niemanden wundern, wenn er hört, wie ein beschränktes Individuum an einem Jean Paul oder Göthen wenig zu loben findet.“ J. P. ECKER-MANN *Beyträge zur Poësie*. Stuttgard. 1824. 8. S. 109. — Recte igitur aperteque pronuntiat FERD. DELLEBRÜCK, *lyrische Gedichte mit erkl. Anmerk.* Berlin. 1800. 8. I. B. S. 78: „Nur Dichter vom ersten Range befriedigen Leser vom ersten Range, und nur Leser vom ersten Range können durch Dichter vom ersten Range befriedigt werden; quod iam graeco apophthegmate concinno supra proferebamus: „τὰ ἀρισταὶ μὲν τοῖς ἀριστοῖς.“ — Contra vero rudes atque inficeti sunt ἄμεσοι, ἀμύντοι, οἱ οὐδὲν ἄλλο οἰόμενον εἶναι η̄ οὐ ἀν δύνοντας ἀποδεῖ ταῦτα χρεοῖς λαβέσθαι. PLATO in *Thaeet*. p. 76. —

Subiecti aesthetici Mens porro simplicitatis suae clare conscientia puram atque immunem semet conservabit ab omnibus indoli suae adversis eademque indignis modificationibus, quales sunt notiones absconnae, iudicia erronea, praeiudicatae opiniones, perversa principia, quae cum ex ignorantia et ignavia, tum e pravo consortio vsuque, tum e perversa educatione atque institutione proveniunt. Subiectum perfecte aestheticum igitur Mentis clare sui conscientiae simplicitate pura diligenter arcebit, quidquid intelligentiae rationisque legibus ita repugnat, ut illud sibi vniuersitate nequeat, sive dein e consortii, sive e populi, sive ex aevi sui moribus, consuetudinibusque profectum sit.

Inde vero perspicitur, quare saepenumero Subiecta aesthetica Mentis vigore haudquaquam destituta, tamen ad pulcritudinem rerum percipiendam minime apta sint, quippe quae forte notionibus a veritate alienis imbuta, pravis quibusdam iudiciis atque opinionibus adsueta, in transversum aguntur. Conf. A. TH. HARTMANN über die Ideale weiblicher Schönheit bei den Morgenländern. Düsseldorf, 1798. 8. — (C. L. v. HAGEDORN) Betrachtungen über die Mahlerey. Leipzig 1752. 8. I. Thl. S. 56. — Idem innuit Vir sagacissimus KÉRATRY in opere: *du Beau dans les arts d'imitations*, I. p. 68. „Il est très-difficile qu'un homme, quelque heureusement organisé, qu'on le suppose, possède du goût, quand son siècle en est dépourvu; — et p. 68. „Toute nation chez laquelle le sentiment parlera avec promptitude et vivacité passera pour avoir du goût. A ce titre les Français réclament un droit de priorité dans la possession d'un tel bien. Toutefois nous ne le leur accorderons que sous une réserve, c'est qu'ils vivront dans des jours où l'esprit de convenance, dont ils sont éminemment pourvus, n'aura pas été

fausse par leurs moeurs et leurs habitudes.“ Eo tendit GÖTHE in Propyläen I. B. 1. St. Einleit. XX. „Wir sehen auf diese Weise ganze Nationen, ganze Zeitalter, von ihren Künstlern entzückt, so wie der Künstler sich in seiner Nation, in seinem Zeitalter bespiegelt, ohne dass beyde nur den mindesten Argwohn hätten, ihr Weg könnte vielleicht nicht der rechte, ihr Geschmack wenigstens einseitig, ihre Kunst auf dem Rückwege und ihr Vordringen nach der falschen Seite gerichtet seyn.“

215.

Mens denique Subiecti aesthetici clare sui conscientia, pro communi sua, neque Materiae instar ad certum spatium partesque singulares constricta indole, res pulcas ita percipiat, vt non modo quod eae tanquam commune ac pluribus aequa constanter inhaerens prae se ferunt, i. e. *characterem genericum* obiecti, advertat, sed id praesertim exquirat et observet, quod in eo propriis suis principiis supremis tam intelligentiae quam voluntatis, vniuersalibus nimirum ideis aeternisque legibus veri ac boni, commune est, ergo *characterem idealem*.

Recte animadvertis ADAMUS MÜLLER, von der Idee der Schönheit. Berlin. 1809. 8. S. 23. „Die Seele liebt bei allen einzelnen Gedanken, Gefühlen und Bildern, die sie wahrnimmt, begleitet zu werden von einem Gedanken, Gefühle und Bilde des Ganzen, von einem Gesetz, einem Grundtone, einem Weltbilde. Es ist, als vermiede die Seele nichts so sehr wie den Gedanken des Alleinseyns, und als wolle sie, wenn ihr die Bilder dieser Welt noch so einzeln und körperlich zugezählt werden, immer noch ausserdem von der Allgegenwart eines die Einzelnen umfassenden Ganzen, eines die Körper beherrschenden Geistes, überzeugt seyn.“ — Quam vere dicit C. A. BÖTTIGER über die Regel der Charakterdarstellung, in der Urania auf d. Jahr 1815.

S. VIII. „Was den Gestalten eine höhere Sphäre anweist, und sie über die Unbestimmtheit des gemeinen Lebens erhebt, ist die innere Bekräftigung und das gesetzliche (den ewigen Gesetzen des Wahren und Guten angemessene) Walten einer hohen Freyheit, das gediogene Werk ihres Daseyns. Dies aber liegt nicht über den Kreis der deutlichen Fassung hinaus, sondern wird Jedem klar, der nicht verwöhnt ward, Alles nur in den verengenden Regeln des gemeinen Lebens, die der Schwäche aufhelfen, und der Verkehrtheit einige Abrundung geben sollen, anzuschauen, und darnach zu würdigen.“ — Et GOTHE iterum in Propyläen I. B. 1. St. Einl. XXIII. „Ein ächtes Kunstwerk muss, indem es das sinnliche Anschauen befriedigt, den Geist in seine höchsten Regionen erheben. Allein wie wenig Personen findet man, die das Gebildete eigentlich sehen, geniesen, und denken wollen, sondern meist nur solche, die ein Werk obenhin ansehen, dabey etwas Beliebiges denken, und nach ihrer Art etwas dabey empfinden und geniessen wollen. — Egregie traducit LUCIANUS in diss. πῶς δεῖ ισορ. ξυγχάφειν eum, qui Jovis olympici univer- sam pulcritudinem ac formam, quae tanta ac talis est, non videt, neque laudat, — sed subsellii rectam figu- ram et expolitionem et crepidinis concinnitatem admiratur. cet. — Conf. G. FORSTER Ansichten v. Nieder- rhein. p. 83. sq. — KÉRATRY du Beau. T. I. p. 233.

216.

Quod ad *Materiam empiricam* attinet, quam in Subiecto aesthetico requirimus, ea in Organismo eiusdem physico, seu corporeo, continetur, quem omnino perfectum esse oportet.

Ac primo quidem vitae physicae vigorem incolumem abesse non posse patet, quo praesertim actuositas ac motus Vis cum inertia et quiete Materiae intime aequaliterque iuncta se manifestat.

Deinde integritas organorum omnium ad plenitudinem vitae physicae pertinentium adsit, vt nempe Vis organicae superioris simplicitas virium inferiorum suis materiis iunctarum multitudinem, per organa sua scilicet assimilantia et plastica, ita comprehendat, quo intima et aequalis omnium ac singularum corporis partium continua conservatio et instauratio ad unum illud totum, Organismum nempe physicum, sustinendum efficiatur.

Denique Vis organicae communis ac in pluribus simul agendi potestas etiam in partium organicarum quarumvis Materia singulari aequaliter atque intime sibi iuncta omnino atque ubique appareat, quo character generis in individuo corpore constanter expressus elucebit.

Organismi huius inferioris plena atque integra indoles adeo necessaria est, vt sine hac Potentiae clare sui conscientiae, seu Mentis, coniunctio intima et aequalis nunquam obtineat. Id quod experientia iam in hominibus organorum praesertim nobiliorum, v. c. cerebri, cordis, vitio laborantibus testatur, adeo vt organorum talium laesio notabilis mortem, i. e. disjunctionem Potentiae clare sui conscientiae (*Animi*) a corpore, conscientiat; sed apertissime id ostendit in Leucaethiopibus ad Isthmum Panamensem et ad ostia Gangis tabescientibus, vel in Cretinis vallem Ilanz et partem terrae Grisonum in Helvetia incolentibus. De his enim fidedigne refert D. AUG. ERN. IPHOSEN in opere *praeclaro: Der Cretinismus philosophisch und medicinisch untersucht. Dresden. 1817. 8. 2. TT.*, m. K. „*Der Grundcharakter dieser Krankheit ist unvollendete Entwicklung. Der Cretin ist schwach und unvermögend, stumpf in allen seinen Sinnen, dumm; hat also unvollkommene Organe und Mangel an Verstand. Aber nicht darum ist er so, weil etwa nicht die Anlagen zu grösserer Kraft und mehrerer*

Fähigkeit in ihm sind; sondern weil sie unentwickelt blieben unter dem Einflusse von Ursachen, die ihre Entwicklung hinderten. Denn bringt man das von Cretinen erzeugte Kind (früh genug) aus dem Cretinenthal hinweg, auf das Gebirge, so wird es ein vernünftiger Mensch; bringt man hingegen das von gesunden Ältern erzeugte Kind von dem Gebirg hinunter in das Cretinenthal, so wird es Cretin. — Quae consideratio, sicut ea, quae supra de Potentia sui non conscientia, seu Vi, a Potentia sui conscientia, seu Mente, accuratius distinguenda diximus, forte aliquanto plus claritatis adferre possent iis, quorum meminit Vir clar. I. H. F. AB AUTENRIETH in orat. acad. tertia: „über den Menschen und seine Hoffnung einer Fortdauer. Tübingen. 1826. 8; p. 30. sqq. — I. C. A. HEINRICH Psychologie als Selberkenntnisslehre. Leipzig. 1827. 8. — II. B. 2. Cap. et alibi.

217.

Neque tamen Potentia pura, quantumvis perfecta et clarissime sui conscientia, neque Materia sola, organismo physico, licet integerrimo, comprehensa, Puleritudinis percipiendae facultate, quae in sensu posita est, gaudet: verum vtraque tantum intime aequaliterque ad organismum aliquem superiorem (psychicum) iuncta id consequi potest, vt Mens nexus intimi sui cum Materia intercedentis conscientia fiat, vnde *Sensus* enascitur (§§. 133, 1. 135, 2). Coniunctio autem intima inter Mentem et Materiam haud aliter consistit, nisi Vis intermediæ beneficio (§. 130.), quae in experientia humana tanquam *Vis imaginandi* comparet, qua nullus organis mus psychicus omnino caret. In quo vero haec Vis imaginandi prævalente organismi physici vigore impedita et constricta est, is torpore quodam hebetus

atque ignavia molesta gravescit; ille contra, in quo eadem Vis imperio Mentis oppressa deficit, subtilitate arida argutiisque ineptis exinanitur. E converso dein, vbi haec imaginandi Vis Menti praevalens exuberat, necessario in fanaticum et vesaniam erumpit; organismo inferiori praedominans in cupiditates indomitas, furorem rabiemque degenerat.

218.

Quare Vis haec intermedia, vt in organismo psychico aequalem Potentiae Materiaeque coniunctionem, quae ad puleritudinem et percipiendam et exhibendam exposcitur, praestet, vel iam nativa indole felici, vel gravi disciplina, eaque constante, ita temperata ordinataque sit oportet (§. 70.), vt neque Menti, neque Corporis (organismi physici) imperio peculiari mancipata fatiscat, verum quin leges alterius proprias ac perpetuas seu violet seu migret, utriusque continuo inserviat.

Indolem genuinam huius Vis admirandae nondum satis exploratam esse, ingenue fateri oportet; multo minus autem disciplina et cultura eiusdem recta condignam adhuc experitur curam. Quae P. C. HARTMANN in opere laudato: *Der Geist des Menschen in seinen Verhältnissen zum physischen Leben. Wien. 1820. 8. p. 176.* sqq. de hac facultate humana memorat, quandam tenus viam aperire videntur, qua plus lucis affulgere queat. Graecorum in scrutandis naturae humanae adytiis sagacitas, mirificam eius efficaciam poëtica ingenii intuitione magis apprehendens, quam ad intelligentiam subtilem revocare ausa, eandem suauissimo atque vberrimo mytho, qui de *Amore* tractat, adumbravit. Nam et nomen ἔρως (ab εἰρῶ necto, vel, vt PLATO vult, a ὄντω, δομήν), et nuptiae cum Psyche, et ceterae fabulae, tesserae, formaeque symbolicae, eo fortasse

referenda sunt; de quibus praesertim PLATONIS *Symposium* et *Phaedrus* ampliora docent.

219.

Subiectum aestheticum, quod ex ipso Organismo psychico constat, hac intima Potentiae clare sui conscientiae ac Materiae coniunctione Obiecta externa quaecunque *percipit*, quatenus Vi et Materia sua iunctim in organismum physicum (corpus) agunt. Huius affectionem videlicet Mens, nexus sui cum Materia intimi conscientia, i. e. *sensu*, apprehendit, et quidem *vel sensu physico*, *vel sensu psychico* (§. 169.). Vterque enim hic sensus in organismo psychico sua habet organa, velut adminicula viasque, quibus obiecta externa in eundem agere possunt: sensus physicus nempe *gustum*, *olfactum* et *tactum*, quem physicum dicere forte conveniet, (v. c. caloris); sensus psychicus autem *visum*, *auditum* et *tactum* (qui psychicus dici posset) quo cohaesio-
nem obiectorum discernimus.

Dum res obiectae in organa Subiecti aesthetici agunt, haec non Materia, quippe inertis, sed Viribus earundem affici, certum est. Alias autem Vires in gustum et olfactum, alias in tactum, alias in visum cet. agere, vix inficiari licet; de quibus tamen alio loco plura expromemus. Multa in hanc rem acutius explorata innuuntur in opere, paucis adhuc, ut videtur, ex veritate aestimato, *Zur Farbenlehre — von GÖTHE*. 2. Bände. Tübingen. 1810. 8.

220.

Gustus, olfactus tactusque physicus, certas tan-
tum Vires materiis congruentibus intime iunctas ex-
trinsecus recipiunt, quae, si cum organismi physici,

cui nutriendo destinatae sunt, viribus et materiis analogis sua sponte vniantur, sensum corporis gratum excitant; si non vniantur, fatuae audiunt; si vero vires ac materias in corpore iam intime iunctas plane divellere conentur, sensum corporis ingratum provocant.

Visus, auditus tactusque psychicus alias iterum vires certas materiis congruentibus intime nexus forinsecus in se directas recipiunt, a quibus vires analogae, in organis his libere latentes, non corpori nutriendo destinatae, parem directionem nactae, tanquam formae ad imaginandi vim, et per hanc ad Mentem propagantur, quae dein iisdem ad conscientiam nexus intimi sui cum Materia, i. e. ad sensum psychicum, perducitur.

224.

Subiectum aestheticum igitur gustu, olfactu et physico tactu gratum ac iucundum persentiscit, sensu nempe physico nixum; nihil vero Pulcri percipit, quippe quod ad sensum psychicum pertinet, qui tantum visu, auditu et psychico tactu, vt pote organis formas puleras apprehensas directe ad imaginandi vim deferentibus, excitari potest. Enimvero sensus psychicus tunc tantum formas vere pulcas recte percipit, si Mentis conscientiam intimi et aequalis nexus cum Materia sua continet; vt primum igitur seu Mentis acumine praevalente a Materia iusto magis recedit (abstrahendo, analysando, ratiocinando), in cognitionem puram vel intelligentiam transit; seu Materiae illiciis capitur aut obscuratur (v. c. colorum amoenitate, tonorum suavitate, contactus prurigi-

ne), in sensum physicum degenerat; utroque nimirum potestate Pulcrum vere sentiendi orbatur. Quamobrem Subiecto perfecte aesthetico formae tales prae ceteris pulcrae apparent, quae, a Mente et sensu physico pariter semotae, quantum fieri potest directe ad imaginandi vim deferuntur *); vel quae, organis externis quidem perceptae, Vis imaginandi actuositate ordinata (§. 216.) interne denuo quasi organice progenitae ac formatae repraesentantur **).

Haupt)* Idem observat GÖTHE in der Reise nach Neapel und Sicilien: „Tausendmal habe ich klagen hören, dass ein durch Erzählung gekannter Gegenstand in der Gegenwart nicht mehr befriedige. Die Ursache hiervon ist immer dieselbe: Einbildung und Gegenwart verhalten sich wie Poësie und Prosa; jene wird die Gegenstände mächtig und steil denken, diese sich immer in die Fläche verbreiten.“ Formae, quas in speculo, vel per ocularia vitrea intuemur, pulciores videntur, quam eadem nostris oculis directe perceptae.

***) WILH. V. HUMBOLDT ästhetische Versuche. Braunschweig. 1799. 8. p. 9. „Die Einbildungskraft zu entzünden, ist das Geheimniß des Künstlers. Denn um die unsrige zu nöthigen, den Gegenstand, den er ihr darstellt, rein aus sich selbst zu erzeugen, muss derselbe frey aus der seinigen hervorgehn.“ — AD. MÜLLER von der Idee der Schönheit, S. 145.; „Nicht bloss vom Künstler, sondern auch vom ächten Betrachter gilt es: Er muss eben so gut, wie der Erzeuger des Kunstwerks, dasselbe in seine Elemente auflösen und gerade wie der Künstler es wieder hervorbringen“. — J. P. ECKERMAN Beyträge zur Poësie, S. 108. „Auch der Leser muss produciren können, wenn er den Schriftsteller verstehen will; was er von einem Buche nicht produciren kann, das bleibt todt.“ Ideo certe Subiectum aestheticum aliis obiectis aestheticis recte percipiendis non est idoneum, quam quibus intra se formandis ac proferendis par est. „Οὐοτορ ὁ μοτοὶ πελάζει. „Du gleichst dem Geist, den du begreifst.“*

222.

Etenim Subiectum aestheticum non tantum simpliciter (passive) percipit formas rerum obiectarum pulcas, verum easdem etiam efficere, fingere atque exhibere valet. Vires nempe suis materiis intime iunctae, adeoque formae (§. 56.), quae ex obiectis externis in organismum psychicum per organa sibi congrua penetrant, illic immanentes latent, eo diutius, quo vel aptius impressae erant, vel saepius renovabantur, vel quo magis organa, quibus eae inditae sunt, vigent. Imaginandi vis, velut Vis intermedia, quoties ad maiorem actuositatis gradum evicitur (in quo eam communiter productivam vocant, has formas in organis latentes excitare, ac, si rectam prius disciplinam experta erat, legibus Mentis et Materiae pariter deferens, easdem in novam formam iungere potest, qua functione *Ingenium* strictiore significatu, *Genie*, vocatur. Ea forma vero, quam hoc modo progenitam Menti repraesentat, *opus Ingenii* est, sensum psychicum Subiecti aesthetici oblectatione nobiliore perfundens, e qua necessario desiderium nascitur eandem formam etiam extra se in Materia quadam externa sistendi ac perennem efficiendi.

223.

Quam Subiectum aestheticum hoc modo imaginatione sua concipit fingitque formam pulcram, ea *interna* tantum est; quae vbi postea in externa Materia quadam, veluti coloribus, tonis, solidis corporibus, exprimitur, ut organa externa Subiecti cuiuspiam percipientis afficere queat, in *externam formam* transit. Inter externam hanc et illam internam

formam ea intercedere debet relatio ac necessitudo, ut altera alteri plene respondens, altera alteram reddat, quam relationem ideo *intermedium formam* nominare licebit. Non tamen quodlibet Subiectum aestheticum, licet internae formae condenda omnino par et idoneum sit, ideo etiam externam formam efficere valet, quippe quae organorum extenorū peculiarem usum ac promlitudinem institutio-ne atque exercitio singulari comparatam depositit.

GÖTHE in opere: *Winkelmann und sein Jahrhundert*, p. 392. „Wenn die Natur gewöhnlichen Menschen die köstliche Mitgift nicht versagt, ich meyne jenen lebhaften Trieb, von Kindheit an die äussere Welt mit Lust zu ergreifen, sie kennen zu lernen, sich mit ihr in Verhältniss zu setzen, mit ihr verbünden ein Ganzes zu bilden: so haben vorzügliche Geister öfters die Eigenheit, eine Art von Scheu vor dem wirklichen Leben zu empfinden, sich in sich selbst zurückzuziehen, in sich selbst eine eigene Welt zu erschaffen, und auf diese Weise das Vortrefflichste nach Innen bezüglich zu leisten.“ — GEORG. FORSTER's *Ansichten vom Niederrhein*, I. Th. S. 125.: „Nicht immer sind die genievollsten, phantasiereichsten Menschen im Darstellen geübt; und wer erinnert sich hier nicht an Lessings feine Bemerkung in seiner *Emilie*, dass auf dem langen Wege vom Sitze der Phantasie bis zum Pinsel oft so viel verloren geht?“ u. s. w. Conf. K. W. F. SOLGER's *Erwin*. Berlin, 1815. 8. 2ter Theil. — A. ERHARD Mörön. Passau. 1826. 8. — S. 142. f.

224.

Subiectum aestheticum neque obiecta externa naturae pulcra, neque opera aliorum vere aesthetica, neque proprio ingenio effectas formas recte percipiet, nisi easdem ut pulcras apprehendat, adeoque in totam naturam suam humanam assumat. Quocirca

1) formam qualemcunque pulcrum non Mente tantum atque intelligentia, neque sensu duntaxat physico percipere contendet; verum eandem sensu psychico apprehensam *in vitam suam psychicam assumere* conabitur.

2) Non audebit eandem in partes, veluti membra mortua, dissectam frustatim excipere; verum *totius compagem indivulsam* nexumque organicum complectetur, quo plenitudinem eiusdem perfectam simul advertat.

3) Eam non modo ut rem singularem et individuam intuebitur; sed in ea speciem simul aut genus corporum, quo referenda est, spectabit — *characterem specificum* —, et ideam legemque rationis universalem, qua Potentia formam animans agitur — *characterem idealem* — contemplabitur.

Quod tamquam principium vitae practicae moralis concinna sententia prolatum commendat G. C. LICHTENBERG *Vermischte Schriften* I. Th. S. 198. „*The whole man must move together*“, huc profecto magis applicari potest. Haec Subiecti aesthetici officia nemo facile in dubium vocat; alii tantum aliter eadem enuntiant. Conf. C. A. ESCHENMAYER, *Psychologie. Stuttgardt und Tübingen.* 1817. 8. — §. 522. — J. J. WAGNER *System der Idealphilosophie. Leipzig.* 1814. 8. — J. P. ECKERMAN *Beyträge zur Poësie*, p. 52. et alii.

225.

Quotiescumque Subiectum aestheticum formas pulcas hoc modo percipit, non potest non totius indolis suae psychicae, seu naturae suae humanae, vires partesque cunctas inter se plene consentientes ac harmonice agentes experiri. Vnaquaevi impressio talis igitur ad humanitatem in Subiecto aesthetico

colendam ac perficiendam valebit, quam frequenter iteratio firmare, ususque perpetuitas continuam efficere debet. In quo autem perceptiones formarum pulcherarum non ad universam indolem psychicam pertinent, in eo sane has nequidquam ad humanitatem seu alendam, seu sustentandam conferre posse patet.

Adeo recte iudicant, qui tam hominem pulcri vero percipiendi capacem, quam artificem egregium, simul etiam virum bonum, probumque esse debere existimant. At vero aequalis haec et intima Materiae Mentalisque consensio, quae humanae naturae perfectionem continet, non in omnibus firmiter perdurat, sed veluti pulcritudinis naturae summus apex, brevi temporis spatio constricta, felioribus tantum vitae momentis plerumque revertitur, nisi ad universam indolem psychicam pertinente cultura continua sustentetur. Vnde quorundam artificum vita miris rerum varietatibus, aerumnarum et gaudiorum vicissitudinibus abundat, quae aliis tranquilla, ipsa sibi sufficiens et beata, aequabilis tacitoque cursu defluit. Conf. *Phantasieen über die Kunst, für Freunde der Kunst.* Herausg. v. LUDW. TIECK. Hamburg. 1799. 8.

226.

Subiecta plura inter se omnino eiusdem indolis humanae communitate sociata, vbi externis interuisque ut plurimum adiunctis iisdem obnoxia, pari ferme culturae gradu consistunt, atque eodem quasi spiritu communi animata, organismum sane psychicum efficiunt, velut unum aliquod altius Subiectum considerari possunt (§. 171.), quod *Publicum* vocari solet. Hoc autem pariter diversas aetates agit, quo amplius est, eo tardius adolescit et ad vitae maturitatem pervenit, pro ratione alimentorum psychi-

corum, quae plus minusve sibi convenientia nanciscitur; in quo progressu suo igitur adminiculis variis, culturae praesidiis diversis, et retardari et adiuvari potest (§. 172.). Quo magis vero internus eiusdem organismus valet vigetque, eo laetius florere, eoque praestantiores humanitatis fructus proferre sollet (§. 212.).

B.) *Obiectum aestheticum empiricum.*

227.

Subiectum perfecte aestheticum empiricum, quale solum et unum hominem novimus, neque Materia, neque Potentiam puram, (seu Vis ea sit, seu Mens), sed utramque tantum coniunctam directe percipit, ea nempe facultate sua, quam *Sensum* vocamus (§. 177.). *Obiectum* igitur directum hominis, vel Subiecti aesthetici, non aliud est, nisi *aestheticum*, sensuale.

Idecirco in experientia, i. e. in perceptione directa (immediata) hominis, velut Subiecti aesthetici, nulla Potentia sine Materia, neque illa Materia vicissim absque Potentia comparet; ideo nihil (nullum obiectum) est in intellectu nostro, quod non ante fuisset in sensibus; ob hanc causam denique, quidquid percipimus, ut *formam* quandam apprendere debemus, utpote quae coniunctionis Materiae ac Potentiae manifestatio est in spatio et tempore (§. 56.).

Post hanc perceptionem directam ac primam omnino Mens humana tamen et Potentiam et Materia a se mutuo sciungere, abstrahere, adeoque cogitando etiam

pure cognoscere, (intelligere) potest. Ita pariter post primam perceptionem obiecti sensualis saepe illius Potentia et Materia suapte naturali lege a se invicem secernuntur in Subiecto, aliisque eiusdem viribus ac materiais adiunguntur, quin Subiectum id amplius sentiat, velut in corporis incremento. cet.

228.

Inter obiecta aesthetica vero ea tantum, quae coniunctionem Potentiae ac Materiae intimam et aequalem continent, *perfecte aesthetica*, seu *pulcra*, sunt; sola haec Subiectis perfecte aestheticis, i. e. hominibus sensu pulcri gaudientibus, plene satisfaciunt convenientque, nempe *forma* sua *pulcra*, quae neque ab aliis, nisi ab his Subiectis percipitur aut dignoscitur. Quare obiectum perfecte aestheticum non modo pulcritudinem in se contineat abditam, sed formam pulcram prae se ferat aptam oportet, quae a Subiecto aesthetico directe percipi queat.

Propterea metalla, vt obiecta pulcra fiant, a heterogeneis partibus eliquantur, colores purgantur, toni tenduntur, lapides pretiosi poliuntur, alia obiecta mundantur liberanturque a sordibus, putaminibus et inylocris, quae formam pulcram secus occultarent, aut certe turbarent.

229.

Formae huius *pulcrae*, in obiecto perfecte aesthetico patentis, notas sequentes cognoscimus, quibus psychico sensu perceptis Subiectum aestheticum obiecta pulcra omnino a non pulcris discernere debet.

I. Ex intima et aequali coniunctione Vis vnius (aut Virium plurium vnius eiusdemque generis) cum Materia provenientes notae, (§§. 115, 116.) *obiectis anorganicis* insunt:

a) determinata facilitas, seu firmitas facilis;
 b) puritas, et aequabilis omnium partium
 comprehensio;
 c) character speciei in obiecto singulari (in-
 dividuo) expressus.

II. Ex intima et aequali coniunctione Virium
 diversarum cum Materiae partibus prodeentes notae
 (§. 119.) in *obiectis organicis physicis* occurunt:

a) vita physica organica;
 b) unitas physica organica;
 c) character speciei in individuo organico.

III. Ex intima et aequali coniunctione Mantis
 cum Materia empirica oriundae notae (§. 139.) in
obiectis organicis psychicis adsunt:

a) vita psychica,
 b) unitas psychica,
 c) character psychicus.

Inter formas igitur tam anorganicas, quam et
 physice organicas, et psychice organicas, quas caute
 discernere oportet, (§. 146.) eae, quae notis hic
 enumeratis conspicuae sunt, tamquam pulcrae a non
 pulcris differunt; cuius differentiae totidem gradua-
 tiones recurrent, quot diversitates in propiore vel
 remotiore accessu ad intimam et aequalem Potentiae
 ac Materiae coniunctionem, aut in simili recessu ab
 eadem, obtinent (§. 152.).

230.

Quantumvis pulcrum aliquid in se absolute sit,
 quantumlibet venustam prae se ferat formam, tamen
 neque obiectum perfecte aestheticum esse, neque fini
 destinato respondere potest, nisi ad Subiectum ido-

neum ita referatur, vt forma eius pulra in Subiecti sensum agat. Non tamen in sensum eius physicum, ad quem scilicet obiecta pulra haudquaquam pertinent; quare nulla ratione opus est, vt organa sensus physici, gustus, olfactus tactusque, forte his prae-sertim demulceantur, at neque ingrato modo afficiantur, ne taedium inde proveniens Pulcri percepcionem turbet aut plane impeditat.

Sensus nempe physicus, vbi iam excultus, non amplius sola necessitate coeca impellitur, sed Mentis imperio magis paret, ob arctam necessitudinem, qua Sensui psychico nectitur, hunc sublevare eidemque semet associare potest. Id vero est, quod inter homines cultos conviviorum gaudia, alias corporis oblectationes vitaeque fructus condire solet; hac via potissimum tam in singulis hominibus, quam apud integras gentes, cultura humana felicius provehitur. Egregie observat J. J. WAGNER *System der Idealphilosophie*, p. 287. „Der Künstler kann den Reitz der Bewegung oder der Qualität denn doch nicht vermeiden. Diese irdische Seite der Kunst ist es indess auch, was selbst Barbaren zu den Kunstuwerken hinzieht, sie festhält, und nach Jahrhunderten bildet, was auch endlich die Kunstuwerke selbst der Wuth der Barbaren entreisst.“

Obiectum pulcrum igitur, vt rite percipiatur, ad Subiectum perfecte aestheticum ita est referendum, vt in sensum eius psychicum agat. Sensus hominis psychicus autem vias et ductus, quibus formae pulrae directe ad eum deferri possunt, tres habet, *tactum psychicum, visum et auditum*. Vnde obiecta pulra empirica, quae in Subiectum aestheticum age-re queunt, triplicis generis sunt:

1) *Tactu psychito* percipiuntur, quorum empirica Materia prius in sensum cadit, quam dein Potentia accedens pari libramento exaequat. Quare obiecta haec *massis solidis* continentur, quae formam *figurae* semper p[re]se ferunt.

2) *Visu* percipiuntur, quorum Vis empirica prius in sensum incursat, cui dein Materia intime neetitur aequaliter accedens. Haec obiecta *lucem* continent, cuius forma *color* est.

3) *Auditu* percipiuntur; quorum Potentia empirica eodem momento cum Materia sua in sensum incidit; quae obiecta *tonum* continent, cuius forma proin aequae *tonus* est.

His sensibus certe subiicienda sunt ea, quorum formam pulcram nos, tamquam Subiecta perfecte aesthetica, percipiamus. Eo tantum intelligere oportet, quae ECKERMAN I. I. p. 44. dicit: „Nicht die Idee macht den Dichter, sondern ihre dichterische Idee hat mancher, aber es fehlt ihm die Gabe, sie zur Erscheinung zu bringen.“ — Propter ea merito dolemus tot egregia veterum artificum opera temporum ac bellorum iniuriis aliisque calamitatibus conspectui nostro erupta; et quae ybicunque terrarum forte abdita latent, communis desiderio in lucem protrahenda sensibusque usurpanda censemur. Graeci, et ut plurimum Romani quoque, artis opera, quibus omnino affluebant, in templis, theatris, porticibus, foris aliisque locis publicis collocarunt; et quum id Romae minus iam vsu veniret, M. Agrippa ut id fieret suasit, oratione magnifica et maximo civium digna, de tabulis omnibusque signis publicandis; quod etiam fieri satius fuisse, quam in villarum exilia pelli, ut existimat PLINIUS hist. nat. XXXV, 9. Musea, pinacothecae, glyptothecae, aliaeque id genus collectiones publicis usibus recte destinantur, magno culturae humanae commodo. Quamobrem iuste conqueritur KÉRATRY h[ab]et illi p[ro]p[ri]etatem, „On n'ima-

ginerait pas combien de statues, de bas-reliefs, de beaux marbres antiques et des tableaux de prix, depuis vingt ans, ont été entassés à Londres et dans les chateaux des Lords.

232.

Obiecta perfecte aesthetica; quae his modis sensui psychico Subiecti percipienda offeruntur, sunt
 1) *absoluta*, realia, quae in se quoque ita subsistunt, sicut exhibentur. Huc pertinent non modo naturae obiecta primitiva, vt arbores, flores, lapi-des, animalia viva, homines, cet. sed etiam artificia calleologica, i. e. naturae opera beneficio artis physicae (naturam adiuvantis) exulta et perfecta, vt color purus, arbor bene plantata et curata, equus egregie condecefactus, homo recte cultus (§§. 132. 144.). Atque haec *obiecta aesthetica prosaiva*, et quidem *primitiva* dicuntur, archetypi absoluti naturae.

2) *Prorsus relativa*, subiectiva, quae aliud in se reapse sunt, aliud Subiecto perhibent. Quod dupli modo fit; nam

a) vel casui committitur, vt, ex obiecti impressione accepta, Subiectum percipiens sibi sistat, quod vult, aut potest, veluti sunt diversa naturae phænomena miras referentia formas, colores adventitii, lunae facies, nubium species cet., quae formae dein illusoriae, fortuitae sunt, *phantasmata*;

b) vel fine proposito efficitur, vt ex impressione obiecti percepta Subiectum sibi quidem etiam aliquid aliud sistat, quam quod in obiecto reipse adest, sed tamen certum quid ac determi-

natum, velut in tabulis pictis, musicis operibus cet.; quae sunt opera ingenii aesthetici, *objектa poëtica primitiva*.

Inde clarum est, quomodo prosaicum objectum deformē, tamen poëticē pulcrum appercipi queat. — Ita intelligi potest, quod alii saepe de prosa et poësi vitae humanae loquuntur. — Objектa aesthetica naturae prosaica, quae etiam perfecte aesthetica, pulcra, esse possunt, multum sane differunt ab objectis prosaicis intellectus et rationis, quae pariter pro se absolute perdurant, veraque sunt, at sola Mente tantum abstracthendo et cogitando cognoscuntur, quae proinde neque ut sensualia (aesthetica), neque ut pulcra tractari sed intra subtilis intelligentiae ambitum contineri debent. Conf. F. SCHILLER über die nothw. Gränzen beym Gebrauche schöner Formen.

Objектa aesthetica tam prosaica, quam poëtica, quatenus primitiva sunt, non modo a *natura* pulcritudine imbuī, sed etiam *arte* (§§. 140. sq. 132. sqq.) omnino pulcra reddi, in formam pulcram redigi possunt. Haec *ars* proinde aesthetica *primitiva* erit, eademque vel *prosaica*, vel *poëtica*. Illa in objectis aestheticis absolutis primitivis intimam, qua iam a *natura* corporea pollent, Materiae ac Potentiae conjunctionem ad aequalitatem desideratam adducere novit; velut ars hortos, agrosque colendi, feras animalientes condocefaciendi, pueros educandi cēt. Haec in objectis prorsus relativis primitivis, adeoque in operibus ingenii, quae *natura psychica* generat et condit, perficiendis atque expoliendis versatur. Vnde facile perspicitur, alia esse *objектa pulcra prosaica naturae* (corporeae), alia *artis*; sicut caute pariter

discernenda sunt *objeta pulra poëtica naturae (psychicae)*, et *artis*.

Obiecta etiam naturae absoluta, quae tamquam pulciora vel nobis tantum imaginari, vel aliis exhibere volumus, prius in formam prorsus relativam transmutamus. „*Indem der Künstler irgend einen Gegenstand der Natur ergreift, so gehört dieser schon nicht mehr der Natur an; ja man kann sagen, dass der Künstler ihn in diesem Augenblicke erschaffe, indem er ihm das Bedeutende, Charakteristische, Interessante abgewinnt, oder vielmehr erst den höhern Werth hineinlegt.*“

GÖTHE Propyläen I, B. 4, St. Einl, XVIII,

234.

Praeterea vero *forma* quaecunque *primitiva*, tam prosaica, quam poëtica, etiam in alia Materia quadam vel significando exprimi, vel imitando assimilari potest, quo ea iterum ac denuo praesens sistitur, seu *repraesentatur*. Quin imo ingenium (strictiore significatu) formam primitivam in se genitam ad alia Subiecta neque referre secus potest, nisi eam denuo extra se praesentem sistat ac producat; ut adeo cuiuseunque operis ingenii forma externa nihil aliud sit, quam *repraesentatio* formae internae cœi primitivæ. Eadem via etiam formæ primitivæ copia fieri, exemplariumque numerus multiplicari solet, quo ea pluribus Subiectis percipienda offerri queant. Haec autem pariter *arte aesthetica* fiunt, nempe *secundaria*, quae recte *repraesentans*, *Darstellungskunst*, dici potest; eademque iterum vel *prosaica*, vel *poëtica* est, quatenus formam primitivam vel prosaicam, vel poëticam *repraesentat*.

Cum PLATO poëtam a prosaico artifice distinguit, hunc ἴδιωτην appellat, i. e. proprie, vt in se res est, loquentem. *Sympos.* VI, 2. — Quae JEAN PAUL *Vorschule der Ästhetik*, Progr. II. et III. de ingenii passivis et activis acutissime animadvertisit, hinc explicatum suum nanciscuntur. — Aberrationes variae, in arte pulchra tum prosaica tum poëtica occurrentes, non minus ingeniose quam diligenter notantur in *Proypläen* II. B. 2. St. p. 108. sqq.

235.

In quolibet opere artis repraesentantis igitur, quod obiectum primitivum seu prosaicum seu poëticum exhibet, interna forma probe discerni potest a forma eiusdem externa, quam utramque tamen, vt opus perfectum sit, et pulcram per se quidem esse, et inter se intime consentire, oportet. Sicut vero utriusque formae huius ea conditio, qua quaelibet Materiae ac Potentiae intimam et aequalem coniunctionem prae se fert, *pulcritudinem formae efficit*; ita in utriusque formae intima et aequali consensione mutua, seu in *forma intermedia* (§. 186.), id consistit, quod *Expressionem* (§. 183.), tanquam Interni manifestationem et enuntiationem in Externo, vocare solemus.

De obiectorum naturae formis primitivis quidem hac ratione valet effatum cel. GÖTHE. quod §. 110. commemorabamus: *Natur hat weder Kern noch Schale, Alles ist sie mit einem Male.* Ibi enim Internum nihil aliud est, nisi Potentia pura; Externum nihil nisi Materia pura; quae duo iam in empiria non amplius discernuntur. — In iisdem obiectis tamen, quatenus arte repraesentantur, iam forma interna (primitiva) ab externa (secundaria) et ab intermedia distingui potest. In quibus operibus id, cuius forma interna turpis, v. c. simiae, ranae, vermis, ceter. forma externa in se pulchra.

repraesentatur, haudquaquam eum perfectionis gradum attigisse censembitur, quem illud assecutum est, cuius et primitiva et secundaria forma pariter pulcra est, velut equorum statnae in aedibus S. Marci Venetiis, vel imagines ovium, taurorum, canum cet. quas *Berchem*, *Potter*, *Wowermann*, *Roos*, *Tempesta*, aliique pictores; vel simulacra formae insignis humanae, qualia *Raphael Urbinas*, *Rubens*, *Titian*, *Canova*, *Thorwaldson*, et alii iconographi aut iconoplastae celeberrimi exhibuerunt.

236.

Forma intermedia operis cuiuscunque aestheticī, seu *Expressio*, triplicem admittit diversum perfectio-
nis gradum, quo non tantum singula opera artis,
sed etiam integrae artificiorum classes, quae Scholae
dicuntur, differunt. Nam

1) forma externa puram putam formae internas
aemulationem continere potest, quae tamen fida simul
et diligens appareat, quin operosa sit ac molesta;
haec vero *simplex imitatio* est, *einfache Nachah-
mung*.

2) Forma externa exprimere potest internam eo
modo, quo artificis ingenium hanc apprehendit, ra-
tionem sibi propriam, non aliunde assumtam, nec
communem, sequi volens, eoque aliis dissidens. In
quo *modus cuique peculiaris*, *Manier*, consistit,
qui eo perfectior est, quo quis ingenio pollet feliciore.

3) Forma externa ita declarare potest internam,
ut indolem huius genuinam, veram et constantem.
qualis omni aevo permanet, ex asse referat; talis
expressio Stylus, *Styl*, vocatur.

Conf. GÖTHE Fragmente über Italien. num. 2. und
7. — KÉRATRY I. l. II, c., XXI. „Ce n'est pas sans
motif qu'on a donné à l'emploi des couleurs et des li-

gnes, dans un tableau, le nom par lequel on désigne l'emploi des mots, des diverses locutions et des images dans les compositions littéraires. Le style, duquel il a été dit par un grand écrivain, que „c'est tout l'homme“, est, en peinture, la manière de rendre la composition, qu'on a conçue, sous le rapport des formes, du coloris et de l'expression; en deux mots, c'est l'exécution caractérisée, c'est tout l'artiste.“

237.

Operis aesthetici pulcritudo igitur saepe tantum in forma eiusdem interna recondita latet, nonnunquam externa forma sola continetur, interdum ambabus formis inest, seiunctis tamen, neque ad intermediate, ut oporteret, coalescentibus; rarissime vero tam interna quam externa forma, pariter venusta, intermedia formositate quoque conveniente gaudet. Denique ipsa haec singularum quarumvis formarum pulcritudo etiam per se diverso gradu consistere solet, prouti minus magisve ad intimam et aequalem Potentiae Materiaeque coniunctionem accedit, vel ab eadem deflectit. Qui proinde in operibus aestheticis singulas tantum partes formasque carptim quasi apprehendere conatur, ea, in quorum partes pulcras forte primum impingit, pulera omnino declarare solet; ea vero, quorum partes minus puleras prius advertit, universe deformes pronuntiat, iniquo vtrinque iudicio circumventus. Quare opus artis quodlibet semper ut vnum aliquod totum, ut organismus aliquis integer, assumendum est, cuius partes etiam singulae venustae postea, continuo tamen respectu habito totius, per se spectari aestimarie debent. (§§. 202. 215.)

Internae formae pulcritudo insignis saepenumero deprehenditur in monumentis rudibus artis vetustissimae, in asperis poëtarum priscorum carminibus, quae inde pretium peculiare nanciscuntur. — Forma duntaxat externa venusta comparet, in iis poëtarum foetibus innumeris, vbi limae labor et mora quidem cernitur, de quibus tamen HORATIUS ait (*ep. II. 100*, sq.)

Non satis est pulcra esse poëmata; dulcia sunt,
Et quoconque volent, animum auditoris agunto.

Huc pertinent „*minoris picturae celebres in penicillo, e quibus fuit Pyreicus, arte paucis postferendus, — humilia quidem secutus, humilitatis tamen summam adeptus gloriam. Tonstrinas, sutrinasque pinxit, et asellos, et obsonia ac similia: ob hoc cognominatus Rhyparographos* (ὅντα ψογάφος, aliis ὁψογάφος, CICERO *ad Attic. XV*, 46.) *in iis consummatae voluptatis; quippe eae pluris veniere, quam maximaee multorum.*“ PLINIUS *hist. nat. XXXV*, 37. — Quod veteres ὄωπὸν vocarunt, recentiores *Bambocciadas* appellare solent, in quibus potissimum Flandrici pictores eminent, Petrus van Laar, Ostade, le Duc, Teniers, Brouwern, Mieris, aliique multi.

Et externam et internam formam insignem, intermedia tamen haud recte copulatas, exhibent saepe artifices secus celeberrimi, de quibus merito conqueritur censor aequissimus in *Propyläen* I. B. 2. St. p. 78: „Wahrlich man geräth oftmals in Versuchung, zu glauben, die Künstler von dieser Art hätten den Begriff von Freyheit und Selbstständigkeit ihrer Kunst gar nicht zu fassen vermocht, indem sie dieselbe so weit herabwürdigen, ihren Zweck verschieben, den Ausdruck schwächen, ihr die Ehre durch sich selbst zu bedeuten und zu wirken, rauben, und sie gleichsam zu Bildern für Bänkelsänger missbrauchen.“

238.

In operibus artis pulcrae igitur et quod Internum vocatur, et quod Externum est, et quod vtrum-

que hoc iungit seu Intermedium, semper formam pulcram referat, oportet. Quae cum a Subiecto aesthetico non alias, nisi sensu psychico percipiatur, cuius tria sunt organa peculiaria, tactus nempe psychicus, auditus et visus, pro diversitate formarum his organis quibusque proprie convenientium, tria quoque artis pulcræ genera constanter discernuntur:

1) *Ars figurarum*, quae formas pulcas offert solidas, ad tactum psychicum proprie pertinentes; *Plastica pura*.

2) *Ars tonorum*, quae formis pulcris vtitur, quas auditus duntaxat percipit; *Musica pura*.

3) *Ars colorum*, quae formas continet pulcas, quales visus tantum apprehendit; *Pictura pura*.

239

Haec diversitas autem non tantum in externis internisque formis operum pulcrorum conspicua est, verum praesertim in forma intermedia comparet. In arte plastica enim Internum ita nectitur cum Externo, vt illud quidem huic continuo inhaerens, motum vitamque indat, simulac tamen ad Subiectum aestheticum refertur, illico actuositatem interrumppere, efficaciamque suam sistere ac se ipsum quasi retrahere videatur intra velum Externi, quod tamdiu immotum rigescit, donec imaginandi Vi Subiecti percipientis iterum animetur. — In arte picturae vero Internum perpetuo praecurrere videtur Externo, quod circumvolitando quasi ac ludendo eripere nititur Subiecti oculis, nisi hi acute firmiterque illud defigant. — In arte musica Internum et Externum

indivulso nexu aequali continenter nexa sunt, adeo ut
vbi alterum comparet, illico adsit et alterum, dispa-
rente vno, aliud e vestigio diffugiat.

Multa in hanc rem, praecipue de eo, quod inter
plasticam ac picturam interest, egregie disserit E. H.
TOELKEN *über das Basrelief und den Unterschied der
plastischen und malerischen Composition. Berlin. 1815.*
8. — num. XIV, XV. — Graeci vetustissimi Musas
primas, Jove altero natas, harum artium tutelares,
Thelxiopen, Aoiden, et Aphēn (ita enim loco
Archen legendum censeo) nominarunt. CICERO *de nat.
deor.* III, 21, 54.

240.

Formae secundariae, quas artes hae purae prae-
se ferunt, in operibus plasticis, musicis pictisque,
vel *Imagines* esse solent formarum primitivarum, vel
earundem *Signa* duntaxat (§§. 184. 188.). Quatenus
Imagines repraesentant, obiecta sunt prorsus relativa
quidem, at per se iam integra totaque, sui iuris,
quae tam Internum, quam Externum Intermedium-
que suum in se complectuntur, proinde significatio-
nem suam in se ipsae continent, id quod *Illusionem,*
Täuschung, sano significatu acceptam, rectius vero
Veritatem artis, Kunstwahrheit, vocari solitam,
in quolibet opere pulcro necessariam, adfert. Qua-
tenus autem *Signa* sunt, formas primitivas vel sym-
bolice, vel allegorice (§. 188.) tantum, indicant, ob-
iecti aesthetici partem externam duntaxat absolvunt,
Internum quippe suum in se non complexae, neque
significationem suam in se ipsae continent. Quam
differentiam in iudiciis de operum eiusmodi puleritu-
dine ferendis probe advertendam existimamus.

Hac ratione opera quaedam plastica, musica, picta, omnino *puras* putas *Imagines* esse scimus, velut sunt effigies hominum ad vivum expressae, vox humana ex imo pectore manans; quaedam autem, velut statuae deorum apud Graecos et Romanos veteres, *pura puta* *Signa* dicenda sunt, quod nomen illis quoque adhaesit; quaedam denique alio respectu tamquam *Signa*, alio vt *Imagines* considerari queunt, v. g. symbolicae representationes virtutum cardinalium, vt vocantur, quas RAPHAËL VRBINAS in Vaticano, DOMINICINO in aedibus S. Caroli Catinari Romae pinxerunt.

241.

Quemadmodum vero hae artes simplices ac purae formas externas operum suorum singulis tantum quibusque organis psychicis, velut iisdem maxime proprias, directe imprimunt: ita vicissim artes aliae formas easdem plures inter se nexus, vt ad plura organa simul deferantur, vna sistere solent; quas ideo artes complexas nominare licet. Sic *ars topiaria* formas non tantum visui, sed etiam tactui proprias vna comprehendit; *ars orchestica* aequi tam visui, quam tactui convenientes formas complexas eodem tempore offert; *ars mimica scenici actoris* non modo tactui, sed visui et auditui simul congruas formas iunctim proponit.

Vtraque species artium tamen, et quae purae et quae complexae dicuntur, semper formas externas cuique organo, in quod agunt, proprias exhibet, quare has artes *formatrices proprias*, *eigentlich bildende Künste*, compellare non veremur.

242.

At vero id, quod in operibus artis Externum est, via quoque indirecta organis psychicis percipientium offerri potest, nempe *Signorum* adminiculo. His enim efficitur, ut forma externa vel eidem organo psychico, cui quidem a natura proprie convenient, nunc impropre (mediate) designetur; vel ad alia certe organa, ad quae propria indole sua non spectat, mediate traducatur, per quae dein ad imaginandi vim propagata huius ope rursum interne ad sua organa propria defertur. Artes has igitur, quae formas impropias adhibent, *semioticas*, quasi *signantes*, *zeichnende Künste*, appellamus. Hoc modo formae solidae, quae proprie tactu percipiuntur, *lineis*, velut signis, visui designari possunt, vnde formae lineares nascuntur; et ipsa *pictura linearis*, seu ars delineandi. Hac ratione formae colorum, quae visui propriae sunt, pariter visui, at impropre, sistuntur *ope lucis et umbrae*, quatenus signa sunt colorum; vnde *Pictura monochromatea* (PLINIUS hist. nat. XXXV, 5. et 11.) oritur, ad quam etiam ars *chalcographica* pertinet. — Formas vero tam visui, quam tactui et auditui proprias, *sermone*, tamquam signo latissime patente atque uberrimo, directe quidem auditui, per hunc autem indirecte ceteris omnibus organis, exhibere solemus in *arte eloquentiae*.

243.

Obiecta aesthetica empirica porro inter se differvunt ea indole, qua quaedam infimo tantum pulchritudinis gradu (§. 116.) consistunt, alia ad altiorem (§. 125.), alia denique ad supremum eius gradum

(§. 145.), emergunt. *Res* nempe, quae *anorganicae* dicuntur, cuicunque sensus psychici organo seu primus offerantur, seu forma secundaria repraesentetur, imum semper pulcritudinis locum occupant; *res organicae physicae* superiorem venustatis gradum tenent, supremum autem eae, *quibus organismus psychicus* inest. Cum tamen hi pulcritudinis gradus omnes in unaqualibet earum artium, quas ex organorum sensus psychici diversitate triplici distinguimus, occurrant: non possunt ii peculiares aliquas artium classes pari cum illis ordine consistentes (coordinatas) efficere, verum ut subnexae modificationes tantum partesque illarum considerandae sunt.

Obiectorum anorganicorum formis ut plurimum ars plastica occupatur. Etenim aedium, supellectilium, vasorum, sarcophagorum etc. opera profert, quae tantum formas id genus recipiunt. *Architecturam* itaque arti plasticae, ut speciem subiunctam, accensere oportet, quae tamen ob numerosa et ampla et ad vitae necessitatem suavitatemque pertinentia opera, quibus intenta est, singulari attentione digna censemur. Formas organicas physicas ars plastica potissimum *opere anaglyphico* sistit; psychicas maxime *statuaria* curat. — In arte picturae iam Graeci ὁπογραφίαν, χωρογραφίαν, ζωγραφίαν distinxerunt. — In musica etiam eas species, quae ad repraesentandas tonitruum tempestates, ventorum procellas, aquarum sonitus, machinarum bellicarum fragorem etc. pertinent, haud quisquam eodem habebit loco, quo vel animalium voces expressas, vel animi humani sensus motusque tonorum modulatione declaratos.

244.

Formae, quae organismum psychicum referentes pulcritudinis gradum supremum tenent, in unaqualibet arte pura propriam ac peculiarem indolem,

seu characterem, sibi vindicant ac tuentur. (Conf. §. 237.). *In arte plastica* nimirum hae formae vel motus praesentis actionisque durantis momentum aliquod praegnans, vel actionis modo terminatae momentum continuum, exhibent, adeoque *characterem dramaticum* continent. *In tabulis pictis* formae humanae potius rerum olim gestarum, aut antea visarum ac pereceptarum vivam repraesentationem atque expositionem exhibent; unde *character epicus* illis convenit. *In arte musica* magis animi nunc impulsi motus, vitaeque internae prorumpentis expressio adest, quae *lyricum characterem* refert.

Idecirco artes complexae in summis formarum pulcrarum gradibus interdum duplicem characterem enuntiant; velut ars mimica, non modo dramatico, sed etiam lyrico charactere pollet. Ob eandem causam *Poësis*, quae signo suo mirabili omnium artium formas repraesentare novit, et epicum, et dramaticum, et lyricum characterem referre potest, unde praecipua poëmatum genera pendunt, quibus reliquae formae, tamquam species subiectae, continentur. Vid. GÖTHE's *Werke*. Ausg. letzt. Hand. VI. B. p. 120. *Naturformen der Dichtungen*.

245.

Quaecunque *res pulcrae* igitur in vsu vitae communi occurrunt, ad has fere classes revocari queunt, quibus etiam *artes* iisdem formandis aptae continentur:

- I. Absolute pulcrae (Obiecta calleologica).
- II. Relative pulcrae (Obiecta aesthetica), quae rursus
 - a) relative pulcrae quidem sunt, in se tamen simul etiam absolute pulcrae; nempe *formae prosaicae pulcrae*.

b) Prorsus relative pulcrae, nimirum *formae poeticae pulcrae*.

Huius vtriusque vero, tam prosaici, quam poëtici generis formae, sunt

1) respectu puritatis suae, vel *simplices*, vel *complexae*.

a) *Simplices* nempe (*purae*), quarum quaelibet ad vnum aliquod sensus psychici organum pertinet, vt adeo α) aliae sint formae ad solum tactum psychicum spectantes, *plasticae*; β) aliae tantum ad visum pertinentes, *pictae*; γ) aliae denique auditum duntaxat afficientes, *musicae*.

b) *Complexae*, in quibus variae formae vna continentur, id quod multis modis fieri potest, pro ingenio artificis diverso.

2) Respectu potestatis suae, vel *propriae*, vel *impropriae*.

a) *Propriae*, scilicet *imagines*, (*iconicae*), quales omnino statuae, tabulae pictae, opera musica sunt, quae simulacula vera formarum primitivarum exhibent.

b) *Impropriae, signa*, (*semioticae*), quales et nunc plures vsu veniunt, vt pictura linearis (*delineatio*), eloquentia, gesticulatoria, etc., et aliae olim vsu veniebant, e. g. hieroglyphicae; aliae novae praeterea excogitari possunt et in dies proferuntur, v. c. Selam, seu florum sermo, *Blumensprache* etc.; quae proinde, sicut et formae complexae, nulla partitione logica exhaustiendas sunt.

CAP V T SEC V N D V M.

AESTHETICA APPLICATA
SYNTHEtica,

S E V

M E T H O D I C A.

246.

Subiectum quantumvis perfectum, et cuicunque Obiecto aesthetico percipiendo par atque idoneum, per se quidem absolute pulcrum esse potest, *aestheticum* tamen haudquaquam erit, nisi Obiectum aestheticum conveniens eidem nectatur. Ac vice versa *Obiectum*, tametsi cuicunque Subiecto aesthetico satisfacere queat, eidemque consentaneum videatur, per se pariter absolute pulcrum declarabimus, nunquam tamen *aestheticum* est, ni Subiecto aesthetico idoneo reapse iungatur. Hac mutua coniunctione (*synthesi*) igitur solummodo fit, vt illud evadat Subiectum, et quidem *aestheticum*, hoc autem Obiecti, speciatim *aesthetici*, naturam induat.

Vt haec diligenter secernantur, tum ipsae noticnes purae Subiecti et Obiecti depositunt, tum experientia, quam §. 238. uberioris memorabamus, vrget. Qio magis mirari oportet, libros fere omnes, qui doctrinam pulcri tractant, ea, non sine huius noxa, praetermissise.

247.

Coniunctio tamen ea duntaxat plenam pulcritudinem *aestheticam* (*relativam*) gignit, quae inter

Subiectum perfecte aestheticum atque Obiectum pariter perfecte aestheticum (pulcrum) intima et aequalis est, quam *artem pulcram aestheticam* vocamus. *Intima* nempe sit, quae non externo quopiam impulsu, praescripto aut iussu obtineatur, sed interna propensione ductuque naturae; *aequalis*, quae complexum atque organismum psychicum efficiat, e cuius functione interna deinde organismus novus per se subsistens, flos fructusve, nascatur (§. 140. sq.)

Inter Subiectum aestheticum vero et Obiectum *gratum vel iucundum* longe alia coniunctio intercedit, ea nempe, quae organismum physicum redolet; *gratum* enim, velut Materia empirica, a Subiecti corpore ita recipitur absumiturque, ut in complexum eiusdem organicum physicum transeat. Inter Subiectum denique aestheticum et Obiectum *bonum seu morale* coniunctio tantum spiritualis obtinet.

248.

Non modo artifex obiectum aliquod pulcrum *formare* volens hoc nexu contineri debet, quem supra ut organismum psychicum definiebamus (§. 139. sq.), e quo dein opus pulcrum prodeat: sed etiam is, qui formam pulcram recte *percipere* cupit, advertat oportet, inter se atque obiectum suum eandem intercedere connexionem psychicam. Quare bene monent perspicacissimi quique rerum pulclarum censores, obiectum pulcrum ab eo tantum recte percipi posse, qui illud denuo in se ipse formare novit.

Ita W. v. HUMBOLDT ästhetische Versuche. Braunschweig. 1799. 8. p. 9. ait: „*Die Einbildungskraft durch die Einbildungskraft zu entzünden, ist das Geheimniss des Künstlers. Er muss die unsrige nö-*

„thigen, den Gegenstand, den er ihr schildert, rein aus sich selbst zu erzeugen.“ — J. D. FAŁK kleine Abhandlungen die Poësie und Kunst betreffend. Weimar. 1803. 8. p. 71. „Werke, wie der Laocoön, zergliedern (rein auffassen) heisst, sich noch einmal in den Standpunkt versetzen, worin der Urheber sie empfing, und das Kunstwerk mit dem Künstler gleichsam zum zweyten Mal erschaffen.“ — J. P. ECKER-MANN Beyträge zur Poësie, p. 108.: „Auch der Leser muss produciren können, wenn er den Schriftsteller verstehen will; was er von einem Buche nicht produciren kann, das bleibt (für ihn) todt.“

249.

Ad coniunctionis (synthesis) huius consummatam rationem, quae pulcritudinis aestheticae plenitudinem, atque adeo organismi psychici maturitatem continet, haud secus pervenire licet, quam progressionem continua per gradus succedente. Hac lege scilicet evolutio organica peragitur, quae repentinus ac desultorios transitus omnino respuit. Quare tam in Subiectis singulis, quam in eorundem communione aut complexu, qui *Publicum* audit (§. 226.), magnopere cavendum, ne alia, quam hac via, ipsaque natura duce, perfectionem artis aestheticae consequuntantur.

Conf. F. W. J. SCHELLING über das Verhältniss der bild. Künste zu der Natur. p. 56. sqq. — Vberriam hanc materiam paucis tantum adumbrare volebamus, vt principia suppedimenta, ad quae omnis historia bellarum artium, tum unversa, tum singulorum temporum et populorum, exigenda esse videtur; unde annualium artis priscae ac recentioris conscribendorum tentamina, quae PLINIUS et WINKELMANN (conf. C. G. HEYNE antiquar. Aufsätze. Leipzig. 1778. 8. 1. St.)

num. 5.), et VASARI, MALVASSIA, PASCOLI, BELLORI, aliique instituerant, diiudicari queunt.

250.

Gradus autem, quibus ad huius syntheseos aestheticae perfectionem emergere oportet, plures dari facile intelligitur; inter quos tamen, qui notabiliores magisque conspicuas progressiones suppeditant, hi fere sunt:

1) ubi Obiectum aestheticum, velut materia empirica, praevalet;

2) ubi Subiectum aestheticum, tamquam Potentia empirica, eminet;

3) ubi Obiectum et Subiectum aequali conciliatione intime iuncta sunt, sine sui conscientia, ita ut per naturam ad artes deveniatur;

4) ubi Subiecti cum Obiecto coniunctio aequalis e conscientia sui oritur, atque intima evadit, ut adeo per artem ad naturam deveniatur.

Atque his comprehenduntur etiam eorum sententiae, qui diversis characterum classibus descriptis varios pulcritudinis gradus designare solent. Conf. J. D. FALK *Abhandlungen die Poësie u. Kunst betreffend. Weimar. 1805. 8.*

251.

In primo gradu *simplex* rerum, ut sunt, *perceptio atque imitatio* (§. 236, 1.) obtinet, unde formarum rigor ac torvitas quaedam dura consequitur.

In secundo gradu *modus cuique* Subiecto *peculiaris* (§. 236, 2.) placet, suo quisque iure vti

volens, alter alterius conamina novitate formarum admirabili superare contendit.

In tertio gradu tantum *stylus* (§. 236, 3.) iam valet vigetque, sine conscientia sui clara, ohne *Besonnenheit*; qui proin idem est, quem nativum et antiquum (*naïv*, *antik*) vocare solent.

In quarto gradu denique *stylus*, cum clara sui conscientia coniunctus, maximam attingit perfectiōnem, qui, licet in artis priscae formis omnino etiam occurrat, quia tamen potissimum in operibus recentioribus obtinet, *recentior*, *romanticus* (*modern*, *romantisch*) appellari consuevit.

Quae de conscientia sui clara, *Besonnenheit*, ad naturam tendente, in formis pulcris perfectioribus necessaria innuimus, iis clariorem lucem foeneratur egregia expositio apud JEAN PAUL *Vorschule d. Aesthetik*, 1. B. III. Progr. §. 12. — coll. (BÖTTIGER) *Urania*. 1815. 11. sq. — GÖTHE, *Fragmente über Italien*. — D. JENISCH über die Meisterwerke der griech. Poësie. Berlin. 1803. 8. p. 353. sq.

Multas nationes certe, in primis gradibus consistentes, ultra illos haud vñquam excessisse videmus, e. gr. Etruscos, Aegyptios. Vid. *Propyläen* I. B. 1. S. p. 68. et 85.

Iisdem gradibus vero, quibus artes in aliquo populo, fortuna favente, ad perfectionem eluctantur, a culmine suo, simulac organismi psychici vis ob quamcunque causam deficit, sensim recedunt aut deiiciuntur, nisi fata tristiora, quibus interdum gentes opprimi solent, repentinum adferant interitum.

Si artis aestheticae perfectio, tum in singulis, qui opera eiusdem percipere aut formare cupiunt, tum in populis integris, aetatibus, seculisve per hos gradus

tantum emergit: eadem via etiam cultura sane ad maiorem humanitatis perfectionem hac progressionē ducat oportet. Pulcrarum namque formarum, quas tam natura, quam ars subministrat, ea est vis, vt continuo impulsu suo, primum quidem in sensus hominum physicos facto, postea longiore vsu frequentato, sensim ad organismum psychicum transeant, quem dein eadem, qua prius dictum est, successione fovere atque ad maturitatem adducere nituntur.

253.

Obiectum aestheticum pulcrum scilicet etiam rudissimo cuique, qui maxime sensui corporeo indulget, placere, adeoque imperfectae humanitati quoque convenire solet; tum ideo, quia illud semper aliquid plusve minusve ad sensum physicum spectantis continet, quo hic proinde fruitur; tum ideo, quod ne rudissimus quidem ita penitus naturam humanam exuit, vt sensu psychico plane careat, quo itaque pulcrum ipsum quodammodo comprehendit.

Vere profecto advertit J. J. WAGNER, loco iam supra laudato, §. 230: „*Der Künstler kann den Reiz z denn doch nicht vermeiden. Diese irdische Seite der Kunst ist es indess auch, was selbst Barbaren zu den Kunstwerken hinzieht, sie festhält, und nach Jahrhunderten bildet, was auch endlich die Kunstwerke selbst der Wuth der Barbaren entreisst.*“ — Quod EDM. BURKE in toto suo opere: „*A philosophical Enquiry into the Origin of our ideas of the Sublime and the Beautiful. London. 1757. 8.*“ haud satis accurate distinguens, multa inter res pulcas refert, quae iucundis tantum gratisque accensenda sunt.

At vero sensus animalis, seu physicus, hominis facile in sensum huic affinem psychicum transit, cuius facultas vnicuique nostrum ab ipsa natura iam indita rerum pulcrarum perceptione primum excitari, dein vsu earundem frequentiori rectoque augeri, ac sensim ad summam perfectionem evehi potest. Id quod non tantum observatio diligens eorum, quae quotidie experimur, verum etiam historia culturae omnium populorum abunde testatur.

Egregie ait GÖTHE: *Ist doch wahre Kunst wie gute Gesellschaft; sie nöthigt uns auf die angenehmste Weise das Maass zu erkennen, nach dem und zu dem unser Innerstes gebildet ist.* Conf. C. GARVE Anmerkung zu Cicero's Büch. v. d. Pflichten; 2ter B. S. 147. f. — Ideo nationes, quae ceteris pulciores telluris plaga incolunt, nisi causae potentiores obstabant, prae aliis etiam prius magisque cultas fuisse constat. J. G. v. HERDER's Ideen z. Phil. d. G. d. Menschheit, 1. B. 6tes Buch. — Qui vel in vrbibus, vel aliis locis opportunis degunt, vbi formarum venustarum incursiones crebriores experiuntur, humanitate morum vitaque cultu certe antecellunt eos, quibus perpetuo cum asperioribus rerum impressionibus conflictandum est.

255.

Alia ratione tamen ad Obiectum aestheticum referuntur Subiectum tale aestheticum, quod, postquam obiectum integro sensu suo psychico iam recte percepit, mente ac iudicandi facultate sua dein seorsum agente illud nunc ad leges normasque iam cognitas exigens, iisdem consentaneum vel adversum esse censem. Subiectum id genus *Censor aestheticus, Kunstrichter*, vocatur. In hac operatione autem,

organismo psychico semoto, Subiectum certe mem-
tem a sensu corporis abstrahens, clara conscientia
legum normarumque olim intellectarum agit, im-
pressionum tamen, quas ab obiecto aesthetico per-
ceperat, recordatione in censem adhibita.

256.

Nempe haud satis est semper, pulcras rerum
formas eo, quo a natura pollemus, tacito sensu tan-
tum percipere, vel tales etiam ingenii solum nativi
alacritate creare. In multis enim sensus ille psychi-
cus, sicut in aliis hoc ingenium quantumvis felix,
nondum eam aequalitatem attigit, quam ad utrius-
que perfectionem requirimus. Quid autem utrique
ad huc desit, aut qua parte nunc ultra modum exube-
rent, dispicere ac videre non potest, nisi Mens a
sensu abstracta,clareque sui conscientia, ad normam
venusti aliunde iam cognitam et sensum pulcri
et ingenium suum exigens, quo seu defectum, seu
luxuriantem vertatem alterutrius advertat. Eadem
intelligentia vero dein medelam quoque adferre pot-
est opportunam, vel educatione meliore, vel insti-
tutione accommoda, vel exemplis perfectioribus sub-
ministrandis, vel admonitione sola, vel aliis e nique
modis, quos exacta pulcri cognitio suppeditat.

Sed etiamsi sensus pulcri perfectus atque inge-
nium absolutum in Subiecto quopiam adsit, non raro
tamen fit, ut tam in percipiendo pulcro, quam in
eodem formando, vel sensus physicus iusto magis sub-
repat, vel aliae causae libramentum aequale psychici
sensus ingeniive turbent, unde minus pura pulcri per-
ceptio, proinde falsum omnino iudicium aestheticum,

opusque vitiosum prodeat, necesse est. Quae haud alia ratione corrigi, neque ad rectum tramitem revocari possunt, nisi Mentis intelligentia subtili, quae rerum formas ad normam pulcri diligenter examinando dijudicet, quo sensus pulcri atque ingenium suas advertant aberrationes. Ita dein etiam eorum, quae sensus pulcri recte probat, ingeniumque praeclare instituit, ratione certa reddi potest, quam e sola legum pulcri cognitione hauriendam esse liquet. Ita denique aliorum iudicia de rebus, quae tamquam pulcrae obtenduntur, eadem trutina pensari queunt, ut opiniones in contrarias partes disputantium dirimantur; sicut veritas omnis ad intellectus rationisque leges exentienda est.

Leges autem puleritudinis, tam ex ipsa hominis natura sincera, quam ex operum, quae omnis actas adhuc pulcris accensebat, indole diligenter investigata, haustas, Scientia pulcri, seu Philocalia, complectitur, cuius utilitatem inde quoque metiri, pretiumque definire convenit.

DE HISTORIA PHILOCALIAE.

257.

In historia scientiae cuiuspiam enarranda *vel* ita versari possumus, vt opera tantum de materiis ad scientiam pertinentibus scripta et in lucem edita, horumque auctores recenseamus, vnde statum literarum et librorum, quibus omnes scientiae huius partes comprehenduntur, cognoscere licet; atque haec vocatur *historia externa scientiae*, seu *literaria*, *cognitio librorum*, *Bücherkunde*; *vel* id agimus, vt initia, progressum, vicissitudinesque notabiliores scientiae, ac praesertim conatus varios eam perficiendi et stabiendi exponamus, vnde praesens status internus scientiae intelligitur; haec vero *historia interna scientiae* appellatur. Vtramque rationem coniungere oportet, quoties amplior et ad singulas quasque partes diffusa expositio vicissitudinum, quas disciplina quaedam subivit, desideratur. Hic vtraque seorsum primis lineis tantum adumbranda est.

258.

Historia Philocaliae literaria nempe, seu *externa*, multo amplior iam est; quam ^{et} hoc loco percenseri possit. Fontes igitur tantum praecipios, e quibus necessaria operum in hoc scientiarum genere editorum notitia hauriri queat, indicabimus. Sunt autem fere sequentes:

JOH. GEORG. SULZER'S *allgemeine Theorie der schönen Künste*, in *alphabet. Ordnung etc.*

IV. Theile, gr. 8. letzte Ausgabe, mit Zusätzen vermehrt. Leipzig 1792—99. Die literärischen Zusätze von CHR. FR. v. BLANKENBURG auch besonders abgedruckt. Leipzig 1796—1798. 3 Bände. gr. 8. — Huc pertinent etiam Nachträge zu SULZER's allgemeiner Theorie der schönen Künste, oder Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen, nebst Abhandlungen über Gegenstände der schön. Künste. (Ediderunt DYK et SCHWAB.) Leipzig 1792—1808. 8 Bände. gr. 8.

JOH. KOLLER Entwurf zur Geschichte und Literatur der Aesthetik von Baumgarten bis auf die neueste Zeit. Regensburg. 1799. 8.

W. T. KRUG Versuch einer systematischen Enzyklopädie der schönen Künste (mit literär. Notizen). Leipzig. 1802. 8.

(J. G. GRUBER) Revision der Aesthetik in den Ergänzungsblättern zur hallischen allg. Literatur-Zeitung, in den Jahrg. 1805 u. 1806.

(J. S. ERSCH) Belletristische Literatur im allgemeinen Repertorium der Literatur, in den Jahrg. 1785—90; 1790—95; 1795—1800.

Eiusdem Literatur der schönen Künste. Amsterdam u. Leipzig. 1813. 8.

A. WENDT, in der Allg. Encyklopädie der Wissenschaften u. Künste, herausg. v. Ersch u. Gruber; Leipzig, 1818. f. 4. Artik. Aesthetik.

JOS. HILLEBRAND Lehrbuch der Literar-Aesthetik, oder Theorie u. Geschichte der schönen Literatur. 2. Bände. Mainz. 1827. 6.

259.

Quod ad *internam scientiae pulcri historiam* attinet, in ea praecipue haec momenta sunt, ad quae attentionem nostram dirigere oportet.

Rebus pulcris, quas non modo natura benigna in locis coeli clementia et libertate soli florentibus proferebat, sed quas vel harum exemplo, vel alacris ingenii impulsu, promta hominis manus etiam imitari ac sistere tentabat, non poterant non et singuli quique, et gentes integrae, cum voluntate perfici, easdem deformibus praeferre atque in pretio habere magno, quin necessitatem seu causas harum deliciarum intelligendi, seu origines earum abditas cognoscendi, sentirent. Ut enim CICERO *de orat.* III, 50, 495. recte advertit, „cum in omni genere, tum in hoc ipso, magna quaedam est vis, incredibilisque naturae. Omnes enim tacito quodam sensu, sineulla arte aut ratione, quae sint in artibus ac rationibus recta ac prava, dijudicant; idque cum faciunt in picturis, et in signis, et in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti, tum multo ostendunt magis in verborum, numerorum, vocumque iudicio; quod ea sunt in communibus infixis sensibus, neque earum rerum quemquam funditus natura voluit esse expertem.“ —

260.

Enimvero mens humana, quantumvis inculta, tamen iam corporeas res (materiales) ab incorporeis obscure discernens, has posteriores vel quatenus corporibus ipsis omnino insunt et in iis agunt consider-

rat, vel tamquam a corporibus seiunctas ac per se subsistentes contemplatur, operationibus a natura nobis impositis, quarum illam intellectus, hanc rationis, esse dicimus. Ac dupli modo pulcritudinem quoque homines omni tempore spectabant. Quare alii vim atque ἐρέγγειαν pulcri admirabilem ad coelestia, qualia in aethere, sole, luna sideribusque cernebant, referentes, descensum eiusdem ad terram, apparitionemque in rebus humanis mythice adumbrarunt, fabulisque, pro varia temporum gentiumque cultura diversissimis, exposuerunt. Vnde tam orientalium populorum vetustissimae traditiones, rudes eae quidem, at valde memorabiles, Graecorum vero postmodum suauissimae narrationes mythicae ad hunc orbem pertinentes, originem duxerunt. Conf. C. A. BÖTTIGER *Ideen zur Kunst-Mythologie. Erster Cursus. Dresden u. Leipzig.* 1826. 8. — Alii contra, iudicio sensuum certo potius nixi, formas pulcas ab invenustis discernere atque imitando exprimere satagentes, regulas legesque, ad quas pulcritudo earundem exigenda esset, exquirere tentarunt; quorum conatinum, indubie longo temporis tractu prius iam institutorum, felicior tandem successus tribuitur POLYCLETO, qui 450 annis ante Chr. nat. non tantum in doryphori statua has regulas expressit, sed, si GALENO fides habenda, easdem etiam opere scripto illustravit.

261.

Vtriusque huius modi pulcritudinis intelligentiam concipiendi et vberius evolvendi doctissimos ac

subtilissimos auctores postmodum nacta est Graecia
in PLATONE atque ARISTOTELE.

PLATO scilicet e philosophiae suae principiis *Ideas* venustatis per se quoque subsistentes assumens, easdem in rebus pulcris, quas experientia sensibus offert, quasi resplendere atque elucere statuit. In *Phaedro*, qui locus classicus est, haec ita fere proponit: „Omnis anima hominis, natura sua (*φύσει*), „antequam in hoc corpus venisset, ea, quae in se „reapse sunt, τὰ ὄντα, intuita est; postquam autem „in hoc corpus transiisset, eorum recordari non „aeque facile accidit cuique, ob multas causas. Quam- „obrem paucae sunt animae, quibus satis memoriae „priorum supersit. Hae vero, quando hic similitu- „dinem aliquam eorum, quae olim intuitae erant „(*τὶ τῶν ἐξεῖ δόμοιώματι*), advertunt, percelluntur, „suique impotes fiunt; quae tamen haec affectio sit, „ignorant, quia non satis omnino persentiunt. Iusti- „tiae quidem et temperantiae et aliorum, quae ani- „mis pretiosa sunt, splendor nequaquam inest his „similitudinibus (*δόμοιώμασιν*); sed perpauci tan- „tum per obscura media et organa in has similitu- „dines penetrando, id, quod iis repraesentatur, „vident. Pulcritudinem vero ipsam claram tunc so- „lum videre licebat animae, quando cum diis in lu- „ce pura, ipsa quoque pura et immaculata, versata, „felicem visionem contemplationemque sequebatur, „soluta ab hoc, quo nunc cingitur, corpore. Pul- „critudo tamen et cum illa progrediens effulgebat, ita „ut anima huc profecta eam quoque percipiat per

„ sensum acutissimum oculorum , quo quidem neque
 „ temperantia , neque iustitia , cernitur. Sola scilicet
 „ pulcritudo hanc habet sortem , ut maxime omnium
 „ et perspicua sit , et amabilis.“

262.

ARISTOTELES contra , quantum e scriptis , quae ad memoriam nostram perlata sunt , videre licet , pulcrum , quatenus in sensum humanum agit , tantum respiciens , praesertim e poëtarum aevo suo celebratorum operibus pulcris , aliisque artificiis , quorum copia non defuit , et quae tantum ut ex imitatione formarum primitivarum , quas artifex repraesentare vult , nata considerabat , notas partesque singulares diligenter collectas in conceptus unitatem iungens , leges et regulas pulcri , in variis artium formis recte condendis stabilire conabatur .

263.

Sententia Platonis poëtica magis , et ingenii ad opera pulcra condenda excitandis potius , quam ad eorum pulcritudinem intelligendam aut explicandam apta , ab omnibus , qui vivaciore pollebant imaginandi vi , adoptata , tam in Academiae spatiis , quam in Schola Alexandrina neoplatonica vigebat , e qua praesertim PLOTINUS c. 250 ante Chr. n. celebratur ; dein seculo XV. in Italia per MARSILIUM FICINUM , PICUM MIRANDOLAM , aliosque resuscitata , postea diu rursum neglecta , nostris temporibus denuo multorum studiis restituitur .

264.

ARISTOTELIS doctrina , mentis humanae ad rerum pulcrarum vsum sensumque conversae , indeque perpetuo reflectentis , functiones describens , eo pluribus probari debebat , quo facilius omnibus ad vitam communem pertinentibus formis accommodari poterat . Quare non tantum inter Peripateticos , et postmodum inter Scholasticos , verum etiam inter aevi recentioris Philosophos quam plurimos nacta est asseclas , qui singulas quasvis rerum artiumque pulcrarum species diligenter perquirerent , earundemque formas , partes et iuncturas accurate definire contenderent . Vnde quidem observationum subtilium , notationum criticarum , regularumque specialium copia enata , sub initium seculi proxime praeterlapsi apud omnes rerum harum studiosos commune ferme desiderium excitaverit , easdem in ordinem aptum redigendi , eaque forma comprehendendi , quam scientiae nexus , recta series et plenus ambitus depositit . Qua in re postquam DU BOS , CH. WOLF , CROUSAZ , HUTCHESON , ANDRÉ , BATTEUX , BURKE , HOGARTH , HOME , DIDEROT , aliique multum elaborassent , dein ALEX. GOTTL. BAUMGARTEN († 1762 .) feliciore vsus successu , disciplinae suae nomen *Aestheticae* indidit , tantumque applausum tulit , vt posthac omnes fere hoc scientiae genus tractantes , vestigia eius premerent . Anno autem 1790 IMMANVEL KANT in opere : „ *Critik der Urtheilskraft* “ , Berolini edito , naevos huius systematis ostendere , pulcri momenta effectusque in naturam humanam accuratius exponere conatus est , ita tamen , vt supremum aliquod pulcritudinis principium , quo scientia pulcri ceu fun-

damento suo niteretur, constitui posse negaret. Ab hoc inde tempore novus aestheticas institutiones ex-colendi ardor Philosophos invasit, quorum conamina diversissima vberius exponere in alium locum reservamus.



B V D A E,

TYPIS REG. LITER. VNIVERSITATIS VNGARICAE.



